JOH. HIERONYMI IM-HOF,

PATR. NORIBERG.

DISSERTATIONES POLITICO-MILITARES.

In quibus continentur etiam

DISQVISITIONES

In varias aliquot Europæ Magnatum & Rerumpub. rationes Status Bellici.

NORIMBERGÆ,

Impensis WOLFFGANGI Jun. & JOH. ANDREÆ ENDTERORUM.

M. DC. LVI.

MAJESTATIS
PRÆSIDIA

Aurum & Ferrum,
Clementia & Obedientia:
Istud Amicos facit, illud Inimicos conficit;
Hæc inter armatos securum reddit inermem,
cœlitùs respiciente

DEO PROTECTORE.

CORONA

ambitu perennitatis punctum claudit.

ad quod infiniti curarum &
discriminum radii
concurrunt:
His
Salomonis Sapientia,
Xerxis Potentia,
Neronis Deliciæ,
Crœsi Divitiæ,
Alexandri Fortitudo,
Caroli Magnitudo,
Cæsaris Bellum, Augusti Pax
obnoxia stetit.
Felix Imperans
Qui
In Pace Bellū, in Bello Pacem,
sub Oliva clypeum, sub cly-
peo Olivam,
providè & ritè,
meditatur.

Hoc

Hoc Venerandæ Antiquitatis
gloriosa Exempla
Poſteritatis imitamine
oſtendunt, intendunt.
Ut
Latius præſens libellus ſub-
miſſè
miniſtrabit
LEOPOLDO
REGI HUNGARIÆ,
PRINCIPI AUSTRIACO,
Seculi noſtri Delicio,
Fugientis Virtutis Patrocinio,
in ſpem meliorum Tem-
porum
& Majorum Honorum nato,
quem

FERDINANDI

FILIO,
PATERNARUM VIR-
TUTUM
Hæreditario,
eximio & humillimo cultu,
cum voto,
ut
Augusta Augusti Propago
Vireat, vivat, vigeat,
Augurio futuri Imperii
incolumis, felix, pacifica,
Vita, Voto, Fato
favente,
nuncupat.

Johannes Hieronymus Imhof.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

AD variarum rerum scientiam cum inflammentur plerunq; homines, meritò media quærunt quibus illam consequi possunt, nulla autem breviori via & magis compendiaria cura ad illam perveniunt, quàm per historiam:

Quæcunq; enim sensus nostri hauriunt, sive res sint naturæ, sive negotia humana; ista quasi oculis usurpanda proponit historia, & quamvis nocte teste, aut remotissima in ora ac parte terra-

rum gesta sint, in medium tamen hominum & lucem fori producit: nihil tam venerabile, quod non communicat; nihil tam arcanum, quod non revelat; nihil tam periculosum, quod non absq; dispendii nostri parte impertit: nec in eo acquiescit historia, verùm, cum scientia indigeat etiam prudentia & usu, ad rerum maximarum experientiam illa ipsa quoque nosmet deducit: Ætate & usu doctum se reddere, paucis concessum est: quare quæ ipsimet explorare non valemus, quis vetat ab aliis accipere,

pere, & suæ quam quisq; exercet disciplinæ adjungere? Sic naturalis Philosophus naturalem, homo Civilis civilem, Medicus medicam, Miles militarem historiam optimè suæ Professioni accommodabit:

Imò quò pluribus difficultatibus & repentinis casibus obnoxia est res quædam, eò magis opus habet prudentia: Persecutio injuriarum, ratio status, & desiderium habendi, sunt pro tempore scintillæ quæ exeunt animo Regnantium, ceu ex ferro ferventi aut chalybe, si verberas,

prodeunt ſtrictura, hæ, ſi fomitem bellicoſi pectoris attingunt, ad arma provocant, ad quæ ſi conclamatum eſt, prudentia ſolers, pectoris vivacitas, præſentia animi, & conſilium præſideant oportet, ſi feliciter tractari debent: Quod qua ratione fieri debeat veneranda Græcorum & Latinorum Bellatorum monumenta nos docent, & gratæ Novitatis exempla demonſtrant: ex his ſub præſentibus pagellis pro ingenii mei tenuitate, generalia quædam præcepta exſtruere volui, quibus diſquiſitiones aliquot:

quot de rationibus belli addidi, quas potentissimi quidam Europæ Principes & Respub. multis ab hinc annis hodieq; diligenter secuti sunt, & quamvis arma manu tractare non noverim, ex lectione tamen librorum, de causis belli gerendi, quod aliquando Hospitalius Cancellarius Gallicus, Guisianis ipsi, ceu togato de bello sermocinari non convenire objicientibus, respondit, me quoque in usum ætatis nostræ disserere posse, non dubito. Tu interea, Benevole Lector, exigua hac opella benè utere, & vale!

VIRO

Amplissimo, magno eruditæ Nobilitatis ornamento,

DN. JOHANNI HIERONYMO IMHOFIO,

ADSESSORI DICASTERII PAtrii prudentissimo, Fautori honoratissimo.

QVeî Veteresque Noviq; pericula provida Martis
 signent, quaque grave hoc Arte geratur opus;
Pervigili IMHOFIUS calamo demonstrat, avitam
 Majorum hac revocans Sedulitate manum.
Hanc BAUMGARTNERUS, BIRCKHEIMERUSq; per artem
 effugiunt Lethen; hâc etiam Ipse fugat.
IMHOFIUS vivet, dum vixerit aurea Virtus,
 & fuerit doctis artibus æquus honor.

Lmq. F.

JOHANNES MICHAEL DILHERRUS,
P. P.

CATALOGUS DISCURSUUM, qui in præſenti opellâ continentur.

⁂(o)⁂

benè gerendas possint in acie.

Disc. V.

Differitur, qua ratione in inferendis obsessionibus Duci bellico procedendum sit.

Disc. VI.

Differitur, qua ratione obsessis defensio sui incumbat.

Disc. VII.

Differitur, cũ conflictus terrestres magna post se trahant commoda & incommoda, qua ratione prudenter & circumspectè sint ineundi.

Disc. VIII.

Cum varii dentur in acie casus, quomodo iis prudentia humana obviam ire possit, disquiritur.

Disc. IX.

Ostenditur, quantum in cienda pugna situs loci, ad quem con-

congrediendum est, valeat, & quam accuratè investigandus sit: pariter quantum juvet Solis & venti beneficio frui nosse, & quæ sunt his similia.

Disc. X.

Differitur, quid sit bellum indirectum, quod vulgo diversionis bellum vocatur, & cujus efficaciæ sit, si prudenter geritur.

Disc. XI.

Differitur ex Xenophonte quid in ducendo & deducendo agmine strenuo Belli Duci observandum sit.

Disc. XII.

Ostenditur, quid circa locorum difficultates, maximè verò ad trajectus fluminum agendum sit Belli Duci.

Disc.

Disc. XIII.

Ostenditur, quid Belli Duci in locandis castris, & quando ad locum quendam considere cogitur, observandum sit.

Disc. XIV.

Ostenditur, quid in movendis castris, & discessione Exercitus, observandum sit.

Disc. XV.

Monentur Principes, ut caveant sibi à mutuis congressibus, & colloquiis, maximè illi qui inter se dissident, & jam jam in armis subsistunt.

Disc. XVI.

Monentur Principes, ut circa induciarum negotia providi sint.

Disc.

Disc. XVII.

Quæritur, an sub armis civilibus inducias inire expediat?

Disc. XVIII.

Inquiritur, quæ ratio Status Bellici hactenus Reip. Venetæ fuerit?

Disc. XIX.

Differitur, quæ ratio Status bellici hactenus Helvetiis fuerit.

Disc. XX.

Quæ ratio Status bellici ab initio formatæ Reip. Belgicæ Batavis fuerit, & quæ ad hæcusque tempora sit, explicatur.

Disc. XXI.

Docetur, quæ ratio Status bellici fuerit olim Angliæ, & quæ sit in præsenti.

Disc.

Diſc. XXII.

Quæ ratio Status bellici hactenus Sabaudiæ Ducibus fuerit, demonſtratur.

Diſc. XXIII.

Quæ ratio Status bellici Hiſpaniarum *R*egi olim fuerit, & impræſentiarum ſit, oſtenditur.

Diſc. XXIV.

Quæ ratio Status bellici Galliæ ſit, aut fuerit, oſtenditur.

Diſc. XXV.

Deſcribitur ſtatus bellicus Flottæ Hiſpanicæ, ſi ad Indiam Occidentalem pergit, & quid ratione tutelæ & defenſionis ſuæ, ſi fortè laceſſitur, agat, quæve Luſitanorum circa negotia maritima inſtituta ſint.

DISCUR-

DISCURSUS I.

PRINCEPS AN IPSE BELLO interesse debeat?

IMperatoriam Majestatem non solùm armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam, ut utrumq; tempus, & bellorum & pacis, rectè possit gubernari; notanter Justinianus Imperator, Pius, Felix, Inclytus, Victor ac Triumphator, semper Augustus, in Procemio Institutionum ad cupidam legum Juventutem edixit. Hactenus de iis, quæ quoad togatam Prudentiam observanda sunt, pro ingenii nostri tenuitate in superioribus libellis disseruimus; re-

ſtat ut ad ſagatam accedamus quoque ſolertiam: quod ut felix & fauſtum ſit,

- - - novemq; perutile Muſis,

paululum latiùs circumſpicientibus nobis, ad diſquirendum ſeſe offert hoc, quod apud Tacitum in quæſtionem aliquando veniſſe novimus: Cùm enim Otho de ratione belli conſultaſſet, Suetonius Paulinus autem moram ſuaſiſſet, *poſtquam pugnari placitum*, inquit Tacitus: *intereſſe pugnæ Imperatorem, an ſeponi melius foret, dubitavêre*. a. 2. hiſt. c. 33. Idem & nos, expediatne principi, ut ipſe ad bellum eat, an magis conſultum ipſi ſit, perſonam ſuam in ſcena belli aliis ſuſtinendam committere, inquiremus.

Prima

Prima fronte videtur conducere rebus ejus, ut ipse bello intersit: *tanti enim esse exercitum, quanti Ducem*, apud (b) Florum dicitur. Et Plautus in Amphitruone notātēr ait: (c) *ubi summus Imperator non adest ad exercitum, citiùs quod non facto opus est, fit, quàm quod facto est opus*; adeoque in ore atque oculis Principis magis urgebit opus suum miles, & quem præsentem intuetur, cuius mentem sensusque & os cernit, ejus commodum diligentius quæret, gloriamque propugnabit ardentius: imò Princeps, qui in bello in rem præsentem venire non recusabit, in expedito consilia sua habebit, quod semper deesse solet Ducibus, quo-

b. l. 2 c. 18

c) actus 1 Scena 3.

rum moderamen in bellis limitatũ, quive metu exitus felicioris(cùm noverint,(d)*bellorum hanc iniquissimam conditionem esse, quod prospera omnes sibi vindicent, adversa uni imputentur)* hęsitare coguntur; sæpe enim in bivio ita stantes, occasionem quam captare debent, amittunt: non negliget autem tempora, quæ plurimum valent, præsertim in bellis, Princeps, qui assiduus rebus suis aderit, quive eá quæ geruntur, prompta & obvia habebit.

d. Tacit. in agric. c.17.

Romani sub regimine populari viventes, graviori bello implicati, ut haberent, qui cum summâ authoritate in oculis militum versarentur, Dictatores creaverunt, qui

Regi-

Regiâ utebantur poteſtate, nec Demoſthenes, quantum præſentia Principis in bello poſſit, ignoravit, quare Athenienſium ſuorum ſortem doluit, quòd Philippum Reipubl. hoſtem in capite atq; in cervicibus militũ ſuorum reſiſtere cerneret, illi autem eadem facere non poſſent; nec malè Antigonus olim, trepidanti gubernatori, & in navali quodam contra Ptolomæũ prælio multitudinem hoſtilium navium pertimeſcenti, præſentiam ſuam oppoſuit: *me verò ipſum præſentem*, inquit, *cum quot comparas?*

Demoſt. Philippi.

Plutarch apoph. c. 48.

Sub noviſſimis ſeculi noſtri certaminibus, haut inſolẽs Galliæ Regibus fuit, coràm & ſub oculis ſuis belli pericu-

la habere. Sic obſidioni Rupellanæ Ludovicus XIII. ipſe interfuit, & præſens eam vidit: clauſtra Alpium in favorem Mantuæ Ducis fregit, & ipſe transſcendit: oppugnando Perpignano asſiduus adſtitit, & coronæ, quâ cingebatur arctisſimè, ipſe manum admovit. Quàm mirificè in prælio, ad Nordlingam commiſſo, animos exercitus Cæſarei cõmaſculaverit præſentia Sereniſsimorũ Principũ FERDINANDI III. tunc temporis Ungariæ Regis, & FERDINANDI Cardinalis, Infantis Hiſpaniæ, non ſine magna clade multoque ſanguine teſtatum fecit exercitus Collegiatorũ. Cùm anno hujus Seculi XLII. Corona Hiſpanica ob defectum

Luſi

Lusitaniæ, gravissimam plagam ab Occidente, & ob Cataloniæ declinationem non leviorem ab Oriente accepisset, Castilia vetus & nova, sedes Hispaniæ Regum, ab omni latere inimicorum impressionibus patere videbatur, jamque in summas angustias Regnum illud deductum erat; sanandis autem hisce vulneribus aptius remedium videbatur nullum, quàm si Rex ipse armatâ manu ad defendendos Regni fines accurreret: cum autem in secretiori Hispaniæ Consilio in utramque partem res hæc disputaretur, aliis Regi, ut præsentem se Exercitui sisteret, suadentibus, aliis dissuadentibus, tandem Legati Cæsarei.

Marchionis de Grana, sententia prævaluit, quæ omninò animos addendos militibus fore, & confundendos spiritus rebellium præsentiâ Regis putavit, adducendo exemplum Caroli V. qui, si fortè per Flandriam aut Germaniam Remp. suam se absente recepisse vulnera vidisset, eadem solâ suâ præsentiâ sanavit: *(e) suetos enim esse Cives*, cũ Tacito sensit, *adversum fortuita aspectu Principis refoveri*, & si necessitas urget, *(f) ire & opponere Majestatem Imperatoriã*, nunquã pœnituisse principem putavit, cedere solere rebelles, *(g) ubi Principem longâ experientiâ, eundemq; severitate & munificentiâ summum, viderint:* Vicit Sententia Marchio-

e) Tac. 15 annal. c. 36.

f) Tacit 1. annal. c. 46.

g) Tac. lib sup.

chionis, Rex Madritum relinquendo, ad fines regni sui properavit, quæ res (*h*) *vim fortunamq; principatus sui è proximo ostentasse*, liceat ita cum Tacito loqui, non parùm progressus Galliæ Regis retardavit. Hæc utut rectè sese habeant, non desunt tamen rationes, quæ evincunt, Principi ipsi ad bellum eundum non esse, sed meliùs videri, manere eum Statui suo inclusum, rem bellicam per Duces & Vicarios tractando: *plura enim in* (*i*) *summa fortuna auspiciis & consiliis, quàm telis & manibus geri.*

h) *Tacit. 4. hist. c. 85.*

i) *13. annal. c. 6.*

His & similibus rationibus usi sunt aliqui Consiliariorũ Philippi IV. Hispaniæ Regis, interq; eos Comes Olivareus,

congrediendum est, valeat, & quam accuratè investigandus sit: pariter quantum juvet Solis & venti beneficio frui nosse, & quæ sunt his similia.

Disc. X.

Differitur, quid sit bellum indirectum, quod vulgo diversionis bellum vocatur, & cujus efficaciæ sit, si prudenter geritur.

Disc. XI.

Differitur ex Xenophonte quid in ducendo & deducendo agmine strenuo Belli Duci observandum sit.

Disc. XII.

Ostenditur, quid circa locorum difficultates, maximè verò ad trajectus fluminum agendum sit Belli *Duci*.

Disc.

Disc. XIII.

Ostenditur, quid Belli Duci in locandis castris, & quando ad locum quendam consi-dere cogitur, observan-dum sit.

Disc. XIV.

Ostenditur, quid in movendis castris, & discessione Exer-citus, observandum sit.

Disc. XV.

Monentur Principes, ut cave-ant sibi à mutuis congressi-bus, & colloquiis, maximè illi qui inter se dissident, & jam jam in armis subsi-stunt.

Disc. XVI.

Monentur Principes, ut circa induciarum negotia provi-di sint.

Disc.

Disc. XVII.

Quæritur, an sub armis civilibus inducias inire expediat?

Disc. XVIII.

Inquiritur, quæ ratio Status Bellici hactenus Reip. Venetæ fuerit?

Disc. XIX.

Differitur, quæ ratio Status bellici hactenus Helvetiis fuerit.

Disc. XX.

Quæ ratio Status bellici ab initio formatæ Reip. Belgicæ Batavis fuerit, & quæ ad hæc usque tempora sit, explicatur.

Disc. XXI.

Docetur, quæ ratio Status bellici fuerit olim Angliæ, & quæ sit in præsenti.

Disc.

Disc. XXII.

Quæ ratio Status bellici hactenus Sabaudiæ Ducibus fuerit, demonſtratur.

Disc. XXIII.

Quæ ratio Status bellici Hiſpaniarum *R*egi olim fuerit, & impræſentiarum ſit, oſtenditur.

Disc. XXIV.

Quæ ratio Status bellici Galliæ ſit, aut fuerit, oſtenditur.

Disc. XXV.

Deſcribitur ſtatus bellicus Flottæ Hiſpanicæ, ſi ad Indiam Occidentalem pergit, & quid ratione tutelæ & defenſionis ſuæ, ſi fortè laceſſitur, agat, quæve Luſitanorum circa negotia maritima inſtituta ſint.

DISCUR-

DISCURSUS I.

PRINCEPS AN IPSE BELLO interesse debeat?

IMperatoriam Majestatem non solùm armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam, ut utrumq; tempus, & bellorum & pacis, rectè possit gubernari; notanter Justinianus Imperator, Pius, Felix, Inclytus, Victor ac Triumphator, semper Augustus, in Procemio Institutionum ad cupidam legum Juventutem edixit. Hactenus de iis, quæ quoad togatam Prudentiam observanda sunt, pro ingenii nostri tenuitate in superioribus libellis disseruimus; restat

ſtat ut ad ſagatam accedamus quoq́ue ſolertiam: quod ut felix & fauſtum ſit,

- - - novemq; perutile Muſis,

paululum latiùs circumſpicientibus nobis, ad diſquirendum ſeſe offert hoc, quod apud Tacitum in quæſtionem aliquando veniſſe novimus: Cùm enim Otho de ratione belli conſultaſſet, Suetonius Paulinus autem moram ſuaſiſſet, *poſtquam pugnari placitum*, inquit Tacitus: *intereſſe pugnæ Imperatorem, an ſeponi melius foret, dubitavêre.* Idem & nos, expediatne principi, ut ipſe ad bellum eat, an magis conſultum ipſi ſit, perſonam ſuam in ſcena belli aliis ſuſtinendam committere, inquiremus.

a. 2. hiſt. c. 33.

Prima fronte videtur conducere rebus ejus, ut ipse bello intersit: *tanti enim esse exercitum, quanti Ducem*, apud (b) Florum dicitur. Et Plautus in Amphitruone notãter ait: (c) *ubi summus Imperator non adest ad exercitum, citiùs quod non facto opus est, fit, quàm quod facto est opus*; adeoque in ore atque oculis Principis magis urgebit opus suum miles, & quem præsentem intuetur, cuius mentem sensusque & os cernit, ejus commodum diligentius quæret, gloriamque propugnabit ardentius: imò Princeps, qui in bello in rem præsentem venire non recusabit, in expedito consilia sua habebit, quod semper deesse solet Ducibus, quorum

b.l.2 c.18

c) actus 1 Scena 3.

rum moderamen in bellis limitatū, quive metu exitus felicioris (cùm noverint, (d) *bellorum hanc iniquissimam conditionem esse, quod prospera omnes sibi vindicent, adversa uni imputentur*) hęsitare coguntur; sæpe enim in bivio ita stantes, occasionem quam captare debent, amittunt: non negliget autem tempora, quæ plurimum valent, præsertim in bellis, Princeps, qui assiduus rebus suis aderit, quive ea quæ geruntur, prompta & obvia habebit.

d. *Tacit. in agric. c. 27.*

Romani sub regimine populari viventes, graviori bello implicati, ut haberent, qui cum summâ authoritate in oculis militum versarentur, Dictatores creaverunt, qui

Regi-

Regiâ utebantur poteſtate, nec Demoſthenes, quantum præſentia Principis in bello posſit, ignoravit, quare Athenienſium ſuorum ſortem doluit, quòd Philippum Reipubl. hoſtem in capite atq; in cervicibus militũ ſuorum reſiſtere cerneret, illi autem eadem facere non poſſent; nec malè Antigonus olim, trepidanti gubernatori, & in navali quodam contra Ptolomæũ prælio multitudinem hoſtilium navium pertimeſcenti, præſentiam ſuam oppoſuit: *me verò ipſum præſentem*, inquit, *cum quot comparas*?

Demoſt. Philippi.

Plutarch *apoph. c. 48.*

Sub novisſimis ſeculi noſtri certaminibus, haut inſolẽs Galliæ Regibus fuit, coràm & ſub oculis ſuis belli pericu-

la habere. Sic obsidioni Rupellanæ Ludovicus XIII. ipse interfuit, & præsens eam vidit: claustra Alpium in favorem Mantuæ Ducis fregit, & ipse transscendit: oppugnando Perpignano assiduus adstitit, & coronæ, quâ cingebatur arctissimè, ipse manum admovit. Quàm mirificè in prælio, ad Nordlingam commisso, animos exercitus Cæsarei cõmasculaverit præsentia Serenissimorũ Principũ Ferdinandi III. tunc temporis Ungariæ Regis, & Ferdinandi Cardinalis, Infantis Hispaniæ non sine magna clade multoque sanguine testatum fecit exercitus Collegiatorũ. Cùm anno hujus Seculi XLII. Corona Hispanica ob defectum

Lusi

Lusitaniæ, gravissimam plagam ab Occidente, & ob Cataloniæ declinationem non leviorem ab Oriente accepisset, Castilia vetus & nova, sedes Hispaniæ Regum, ab omni latere inimicorum impressionibus patere videbatur, jamque in summas angustias Regnum illud deductum erat; sanandis autem hisce vulneribus aptius remedium videbatur nullum, quàm si Rex ipse armatâ manu ad defendendos Regni fines accurreret: cum autem in secretiori Hispaniæ Consilio in utramque partem res hæc disputaretur, aliis Regi, ut præsentem se Exercitui sisteret, suadentibus, aliis dissuadentibus, tandem Legati Cæsarei.

Marchionis de Grana, sententia prævaluit, quæ omninò animos addendos militibus fore, & confundendos spiritus rebellium præsentiâ Regis putavit, adducendo exemplum Caroli V. qui, si fortè per Flandriam aut Germaniam Remp. suam se absente recepisse vulnera vidisset, eadem solâ suâ præsentiâ sanavit: *(e) suetos enim esse Cives*, cũ Tacito sensit, *adversum fortuita aspectu Principis refoveri*, & si necessitas urget, *(f) ire & opponere Majestatem Imperatoriã*, nunquã pœnituisse principem putavit, cedere solere rebelles, *(g) ubi Principem longâ experientiâ, eundemq; severitate & munificentiâ summum, viderint:* Vicit Sententia Marchio-

e) Tac. 15 annal. c. 36.

f) Tacit 1. annal. c. 46.

g) Tac. lib sup.

chionis, Rex Madritum relinquendo, ad fines regni sui properavit, quæ res (h) *vim fortunamq; principatus sui è proximo ostentasse*, liceat ita cum Tacito loqui, non parùm progressus Galliæ Regis retardavit. Hæc utut rectè sese habeant, non desunt tamen rationes, quæ evincunt, Principi ipsi ad bellum eundum non esse, sed meliùs videri, manere eum Statui suo inclusum, rem bellicam per Duces & Vicarios tractando: *plura enim in (i) summa fortuna auspiciis & consiliis, quàm telis & manibus geri.*

h) Tacit. 4. hist. c. 85.

i) 13. annal. c. 6.

His & similibus rationibus usi sunt aliqui Consiliariorũ Philippi IV. Hispaniæ Regis, interq; eos Comes Olivareus,

cùm à proposito itinere, quod ad fines Regni sui destinaverat Rex, avertere eum vellent, de quo paulò superius diximus.

Scilicet cum Gallus propius ad Regni Valentiæ terminos accessisset, urgebant, non videri securam Regis personam, nec in Arragonia, nec in Valentia, quæ utræque provinciæ munimentis & fortalitiis carerent, adeoque receptaculum Regi superesse nullum: hujusmodi autem principem, in quo summa rerum, & salus Monarchiæ consisteret, *(l) dubiis periculorũ exemptum esse debere, illisq; haut objectandum: quapropter (m) summa rerũ & imperii se ipsum ut reservaret*, anxiè jubebant: neq;

l) Tacit. 2. hist. c. 33.
m) 2. hist 33.

neq; (n) omittere eum Urbem Madritum debere, unde in omnia regimen, putarunt, *(o) parvis periculis haut immiscendum, & majoribus non defuturum.* Non equidem, si negativam intuemur sententiam, diffiteri possumus, summi Principis præsentiam in bello, statui suo sæpissimè detrimento fuisse, quoties scilicet mori eum in acie, aut incidere in manus hostium contigit, prout de Syphace Masæsylorum Rege, quem Scipio per C. Lælium, & Massinissam cepit, ut & de Perseo ab Æmylio Paulo in Samothracia capto, refert Livius: (o) Nec Johannis & Francisci I. Galliæ Regum, captivitas, parùm damni Galliæ intulit. Accidit

n) 3. annal. c. 47

o) 4. hist. c. 85.

o) Decad. 3. lib. 10. 4. lib. 5.

etiam, ut aliquando, absente & bellis detento Principe, ansam turbandi capiant subditi:

Verum enim verò, nisi manifesta obstiterint pericula, & præsagienda sint præsentissima mala, conducet sæpius Principem in oculis militum hærere, maximè si difficultas belli id postulaverit: *Si status Imperii aut salus provinciarum in discrimine vertatur, debebit in acie stare Princeps*, ut apud Tacitum (q) Mucianus docet: *minora verò bella & cum minore detrimento conjuncta, minoribus Ducibus delegavit.*

q) 4. hist. c. 85.

Non temerè tamen Princeps, (r) *sese, remq; publicam in casum dabit*, (s) *magnitudinem Imperii & Personæ suæ*, cum Tiberio, semper cogitans, quan-

r) Tacit. 1. annal. c. 47.

s) 3. annal. c. 47

quantumve in se situm sit, perpendens: (t) *in milite enim unius sors est, in Imperatore universorum periculum.* Et notanter admodū Polybius: (u) *Duce illæso ac salvo, etiamsi aliquando reliqua cuncta cadant, multas tamen occasiones fortuna subministrat, quibus detrimenta ex calamitosis eventibus accepta, resarciri possunt: Si ille verò perinde ac in navi gubernator ceciderit, etiamsi reliquæ multitudini fortuna victoriam adversus hostes largiatur, nil tamen inde commodi provenit, propterea quòd omnis omnium spes à Ducibus pendet:* eapropter laudat idem Polybius Annibalem, his verbis: *Annibalem multis nominibus inter bonos Duces numero, qui ob id*

t) Egesip. lib. 5. c. 3

u.) lib. 10 n. 21.

potissimum celebrari potest, quod & multum temporis in bellicis rebus versatus est, & multis variisq; occasionibus usus, hostes sæpenumero in particularibus negotiis suapte industria frustravit: ipse verò in tot ac tantis certaminibus, nunquam frustratus est, tantâ videlicet providentiâ, ut apparet, sibi cavit.

Interesse bello Principem aliquando debere, diximus: id autem hoc cum grano salis accipiendum; scilicet, si de Successore certus erit, certus de fidelitate subditorum, & stabilitate Imperii sui, secus si est, ambigendi causa erit. Exemplo nobis Franciscus I. illo ad Paviam capto, cùm non deesset Successor, suumque

robur regno mansisset, Regnum nihilo secus substitit.

Quod si autem præsentiam Principis tempora, aliaque gravissima impedimenta denegabunt, (x) *venturi ad bellum speciem simulare*, haut inconsultum quoque erit, ad imitationem Tiberii, qui cum legionum Germanicarum motus ob diversas causas ipse præsentiâ suâ comprimere nollet, (y) *cùm tamen ire ipsum & opponere Majestatem Imperatoriam debuisse, Civitas streperet, simulavit indies abitum,* (z) *ut jamjamq; iturus, legit comites, conquisivit impedimenta, adornavit naves, mox hiemem aut negotia variè causatus, primò prudentes, dein vulgum, diutissimè provincias fefellit.*

x) Tacit. 6. annal. c. 1.

y) Tacit. 1. annal. c. 46.

z) Tacit. 1. annal. c. 47

DIS-

DISCURSUS II.

QVOMODO, QVAVE RAtione bellum defensivum tractandum, & quid circa illud Principi agendum sit, inquiritur.

a) 15. annal. c. 1.

TIridatis apud (a) Tacitum vox, ambitiosa satis, *id in summa fortuna æquius esse, quod validius, & sua retinere, privatæ domus, de alienis certare, Regiam laudem esse:* imò mos ille vetus Romanorum, quem graphicè apud eundem Tacitum (b) describit Britannicus ille Dux, Galgacus: *auferre, tucidare, rapere falsis nominibus imperium, atq; ubi solitudinem feceris, pacem appellare:* præcipua hodienum causa est, quod inviti

b) in agr. c. 30.

viti multi Magnatum ad defendenda sua procedere cogantur.

Bellum defensivum, de quo in præsenti nobis sermo erit, sicut plerumque consulitur illis, quibus cum inimico viribus & potentiâ majore, res est; ita prohibetur eis, qui numero & robore inimicum exæquant, aut fortè superant, meliusque hoc in casu inimicorum impetus propulsare, eorumq; conatus irritos reddere, atque ita prævenire potiùs, quàm præveniri.

Quid autem agendum illis sit, qui propugnationem sui tantùm procurare poterunt, & ita in præsidiis solùm castrisq; versari adstringuntur, jam deducemus. Saniores Politici,

litici,&rei militaris gnari,hoc consilii dant:Quod talis Princeps, illas status sui terras, urbes & oppida munire præcipuè debeat, quæ apta & accomodata esse videbit ad trahendum & remorandum hostem, nec armis solùm ferroque vallare ea satagat,verum etiam omnibus aliis ad sustinendum impetum necessariis rebus instruat abundè, idque in tempore, antequam hostis aditum ad hujusmodi loca præcludat: Nam in similibus casibus summa cautio atque diligentissima provisio ab imminenti sæpè ruinâ multos servavit; nocuit autem non cavisse, non prospexisse. Sanè qui sollicitè defensionem status sui cogitabunt, levem etiam

iam quam inimicus excitabit umbram, pro corpore habebunt, quicquid apparatum detrimenti præ se feret, rem esse putabunt, quicquid verosimile esse credent, pro vero accipient.

Cum Cæsaris Ferdinandi II. Exercitum falsò hæc opinio teneret, nec vires nec animum Regi Suecorum Gustavo Adolpho superesse, parvâ militum manu, quam penes se habebat, Germaniam intrare, cùm jam victricibus armis suis ferè totam Imperator in ordinem redegisset Germaniam, adeoque capiti ac fortunis suis malè provideret exercitus ejus, à Suecis subitò ferro lacessitus & fugatus, brevi temporis spacio insignes

Regi Succorū progressus adornavit. Hugenoti in Gallia, cum sub primordiis Regiminis Ludovici XIII. ex sententia compositis se gaudere rebus crederent, adeoque consulere sibi ac prospicere negligerent, ex improviso à Rege suo, sub alio prætextu armis circumvēti, libertate Religionis, quâ antea fruebantur amplissimè, exciderunt.

Ast cùm ad defendenda singula status cujusdam loca, immensi requirantur sumptus, adeoque impossibile sæpè sit, cuncta loca, eo, quo par est munire præsidio, & firmare prout res postulat, Princeps defensivo implicatus bello, præcipua sibi eliget loca, cætera destruet, ne serviant inimico

mico, auferet autem ante omnia commeatum, annonam, fruges, pecora, & quicquid ad firmandum hostem in iis reperiet, dabitque operam, ut inferantur iis locis, quæ armare constituit.

Hoc cùm fecissent Sueci, & Dux eorum Bannerius, cùm aliquãdo in nuperrimo bello quàm citatissimo poterant agmine sese à Cæsarianis abripere, & in Pomeraniam recedere cogerentur, cum quicquid commeatus suppeditabat liber campus, ad fortiora Pomeraniæ loca ableganda curabant, Pomeraniam ita vacuam hosti eos in sequenti relinquendo, agro isto re infectâ excedere compellebant Cæsarianos, quibus discedentibus

tibus, reditum statim in Germaniam parabant.

Maximè autem è re Principis erit, videre, ne campum omninò cedat inimicis, & licet apertè aggredi hostem non audeat, continuò tamen lacessere, carpere & infestare eum tentet: Exercitus enim qualiscunq; parvus aut modicus virium, poterit aliquando in confinibus, aliquando in transitu fluminis frenum imponere potenti adversario, poterit spem dare impetum hostilem timentibus, succurrere obsessis, subvectam hosti annonam tollere aut intercipere, adeoque multis modis nocumento esse.

Cùm aliquando Hispani graviter Montisferrati oppido,

do, Casali incubarent, fortalitium Casaliense armis eorum solum resistebat, sed jamjam ad extrema ferè præsidiarii redacti, redditionem meditabantur, Ludovici XIII. levi descensu erecti, uno ictu Hispanorum molimina vana reddebant.

Cavendum tamen Principi, defensivè solùm agenti, prælio nisi occasio victoriam quasi præ manibus ferat, rem totam committere, maximè si viderit subsistere in longum hostem non posse. Hujus consilii erat ille L. Paulus Æmilius, Consul Romanus, qui cùm videret Pœnum in aliena morantem terra, non posse tot tamque diversarum gentium copias diutius sustinere.

nere, in sententia Fabii Maximi perseverabat, ut bellum duceretur in longum, hanc unam tutam vincendi viam, hanc hosti pernitiosam suæq; reipubl. salutarem esse censebat: Laudatus eapropter à Plutarcho, (c) qui notanter hoc ejus consilium probat, additque, quod si hoc ipsum etiam C. Terentio, Æmilii Collegæ, persuasum fuisset, *satis apparuisset, à sedentibus Romanis frangi potuisse Annibalis opes:* Taxatur contra Q. Fulvii Flaccii propositum à Livio, qui, cum Annibal ad tertium ab urbe Roma lapidem castra posuisset, ipse sub faucibus urbis, bis cum hoste ferro decernere tentavit, & nisi secunda vice certamen

(c) in Annibale.

tem-

tempestas diremisset, in eum casum pugna successisset, *ut (d) Roma victori præmium fuisset.* Quâ ratione in bello defensivo fortiter juxta ac prudenter, procedendum sit, post alios plures Europæ magnates, Sabaudiæ Duces, pariter & Veneti nos edocent:

d) Livius de. ad. 3. l. 6.

Illi loca Pedemontii principaliora præsidiis hactenus firmarunt optimis, cætera deserta relinqunt, nonnullorũ muri discussi jacent, miles modicus semper in armis, ut hosti per terras Pedemontii itum ac reditum difficilem reddat.

Hi, Veneti, non sine admiratione omnium, potentissimo Barbaro hucusq; defensivis armis magnanimo quoq;

 ausu

ausu restiterunt, neve ulteriores in Candia faciat progressus, felicissimè hactenus prohibuerunt.

DISCURSUS III.

QVÆRITVR AN AD defendendum Principis statum plus valeant milites nati in eo statu, an peregrini?

SUnt quidam Politicorum, qui putant, incolas meliores prestituros esse operas in propugnando statu, ob amorem, quo feruntur in Patriam, utpote qui noverint, tutando & armis obtegendo publicũ, & Principis sui statum, eo ipso sartum tectumque se reddere privatum suum, dulce & decorum

eorum habentes mori pro patria. Hoc more vivere incolas, quando pro patria dimicandum est, testatur apud Liviū Q. Fabius maximus: *(a)* *aliter iidem* inquit *ad Scipionem, Carthaginenses, Hispaniam defenderunt, aliter mœnia Patriæ, templa Deûm, aras & focos defendent, cùm euntes in prælium pavida conjux & parvi liberi occursabunt;* & Annibal ferociam pervicaciamque pugnandi expertus est in Saguntinis, *(b)* cum res Patriæ agebatur, quorum urbem, Saguntum, octavo demum mense cepit: idem expertus Philippus Macedo in Abydenis, teste Livio. *(c)*

a) Liv. Decad. 3. lib. 8.

b) Liv. decad. 3. lib. 1.

c) decad. 4. lib. 1.

Hi, quibus statum per peregrinos defendi debere pla-

cet, has addunt rationes, quod plerunque illi, qui ex aliis ad belligerandum adducuntur oris, militaris rei magis gnari sint, quam multitudo patriæ: insuper incolas allectos dulcedine rerum suarum, & perculsos earum jacturâ, ad evitandum denique vitæ discrimen facilius ad indignas trahi posse conditiones & pactiones, quàm peregrinos, putant. Nos rem distinctione expediendam esse, arbitramur: aut enim populus status cujusdam est vilis, abjecti animi, & pavidus, aut bellicosus & fortis: si vilis, peregrini potius, quàm ille ipse ad defendendum eum adhibendus: sin bellicosus, & erecti animi, aut gaudet præsenti regi-

regimine ſtatus, aut ob duritiem moderatorum aliena appetit, & faſtidire gubernacula videtur; ſi hoc, iterum ſuaſerim peregrinis tutelam committi debere, non indigenis.

DISCURSUS IV.

QVANTUM IN BELLI Duce facundia valeat, & accommodatæ ad milites orationes quantum ad res benè gerendas poſſint in acie, proponitur.

TAcitus de moribus Germanorum agens, hoc notabile de Cattis refert: *(a) quod plus in duce, quàm in exercitu reponere ſoleant:* quod ipſum calculo quoque ſuo approbaſſe videntur veteres illæ Numidæ, a) de morib. German. c. 30.

qui cùm sæpiùs Romanos fudissent, tandem sub P. Scipione fugati sunt; cùm igitur à suis interrogarentur, quare animum despondissent adversus eos, quos antea tot ac tantis cladibus affecissent? responderunt, quòd pecora illa priora mutassent pastorem. De Camillo, cùm sub maximis Romanarum rerum angustiis Dictator crearetur, notanter etiam refert Livius: *quòd omnia repentè mutaverit Imperator mutatus, alia spes, alius animus hominum, fortuna quoq; alia Vrbis videbatur*: Ex solius Ducis virtute de secundo aut adverso belli successu judicabat aliquando etiam Julius Cæsar, qui ad bellum Hispanicum iturus, ut de-

de futuræ victoriæ gloria certos redderet quodammodo suos, *se contra exercitum Duce carentem tendere*, ajebat.

Et sanè multa non sperata in bellis, multa temerè præsumpta, felicissimè sæpè provenerũt vi virtutis exercitati & gnari cujusdã belli Ducis: quare rectè Probus, Xerxem magis consilio Themistoclis, quàm armis Græciæ victum esse, & Epaminondam unum, pluris fuisse, quàm universam Græciam, dixit. Per exempla tàm vetera quàm recentia ire nimis longum foret, omnesq; præclari Ducis bellici dotes hîc recensere velle, paginæ angustia prohibet: de facundia Ducis in præsentiarum solùm loquemur, quæ ad con-

firmandos militum animos semper maximè valuit.

Apud Tacitum, quem meritò ante omnes consulimus, Aponiani factum relatu dignum deprehendimus, qui cum ob Flaviani ad exercitum adventum, & exortam ejus causa inter milites seditionē ad compescendam eam ad cohortes accessisset, obturbasse eum, cùm loqui cœptaret militum voces testatur Historicus, fremitu & clamore, cæteros quoq; ductores aspernatum fuisse militem, ait: (b) *uni Antonio*, inquit, *apertæ militum aures erant, nam & facundia aderat, mulcendiq; vulgum artes & authoritas*. Quantum Romani Duces orationibus suis apud Exercitum

b) 3. hist. c. 10.

tum suum potuerint, testatur Tacitus variis in locis, quorum aliquos hîc afferre volumus.

Britanni cum Romanis pro aris & focis acerrimè contra Suetonium pugnantes, insigni multitudine, & animo adeò fero, ut conjuges quoq; testes victoriæ secum traherent, plaustrisq; imponerent, Boudicea quoq; curru filias præ se vehens, in aciem descendebat, & insigni oratione milites ad defendendam libertatem publicam excitabat: hoc cùm animadvertisset Suetonius, (c) *nec ille in tanto discrimine silere voluit, & quanquam confideret virtuti suorum, tamen exhortationes, & preces miscebat*: iidem Britanni,

(c.) Annal. 14. c. 36.

tanni, cùm sub Caractaco Rege suo, denuò prælium contra Romanos auderent, *Ostorius cum aliis Ductoribus circumivisse Exercitum* à Tacito (d) dicitur, *& firmasse suorum animos, minuendo metu, accendendâ spe, aliisq; belli incitamentis:* Idem Autor (e) de Germanico refert, quòd, cùm ad Visurgim cum Arminio Germano acie congredi in animo habuisset, vocaverit prius concionem, *& prævisâ sapientiâ, aptaq; imminenti pugnæ plura disseruerit, orationem Ducis secutum esse militum ardorem,* ait, *signumq; pugnæ datum fuisse,* eventu postea felicissimo.

(d) 12. annal. c. 34.

(e) 2. annal. c. 14.

Cùm contra eundem Arminium alio in loco pugnantes

tes Romani confusiùs aliquando agerent, orationis vi Cæcina rem restituit, *victoribus decus, gloriam, quæ domi cara, quæ in castris honesta, memorando, reticuisse autem de adversis*, à Tacito (f) dicitur; qua re terrorē repressit, & clade posteà Germanos affecit.

f) 1. annal. c. 67.

Bellicam Antonii virtutem & impleta ab eo egregii Ducis munia luculenter describere volens sæpè allegatus Tacitus noster, laudat eum maximè à genere facundiæ, & ante collata signa quamprimùm orta luce *noscere suos, noscięq; poterat, alios pudore & probris, multos laude & hortatu, omnes spe promissisq; accendere* solitum fuisse, dicit: in conflictu quodam contra Vitellianos

quem recenset Historicus, cum *Pannonicas legiones ad abolendam prioris ignomiæ labem hortatum esse, tum ad Mæsicos conversum*, peculiari sermone & illos ad faciendũ officium suum stimulasse, plura *ad Tertianos dixisse, eosque veterum recentiumq; admonuisse; ut sub M. Antonio Parthos, sub Corbulone Armenios, nuper Sarmatas pepulissent*, cogitarent, refert, ut quasque accessit legiones, ita accommodatâ oratione in eas utebatur, qua re tandem Vitellianos pulsos & fugatos vidit. Notanda præcipuè alia egregia sanè apud eundem Tacitũ Civilis oratio ad suos, cùm post malam in Treviris pugnam, aliam reparato per

Germanicum exercitu, tentare vellet, ut animum suis adderet, locum pugnæ testem virtutis ciebat, & ab hoc argumento orationem suam auspicari volebat: (g) *Stare Germanos Batavosq; super vestigia gloriæ, cineres ossaq; legionum suarum calcantes, capesserent igitur pugnam; conjugum, Parentum, patriæ memores, illum diem aut gloriosissimum inter maiores, aut ignominiosum apud posteros fore.* g) 5. hist. c. 17.

Prout res & locus poscebat, variæ & elegantissimæ leguntur apud Tacitum, Livium, & Thucydidem, Ducum Belli ad suos sermones, exhortationes, & conciones. Talis est illa apud Livium; (h) *quo timoris minus, eò minus fermè periculi:* h) 22. c. 5.

riculi: effugere mortem quisquis contempserit, timidissimum quemq; eam consequi: apud Curtium: (i) *nec pigros sibi fata disponere, sed unicum bonum diuturnam vitam existimantes, sæpè acerbâ morte occupari:* iterum apud Curtium: *Semper in prælio his maximum periculum esse, qui maximè timent, audaciam pro muro haberi:* apud Sallustium: (m) *omnia prona victoribus, atq; eadem victis adversa esse:* (n) apud Tacit. (o) *Mortem omnibus ex natura æqualem, oblivione apud posteros, vel gloria distingui, ac si nocentem innocentemq; idem exitus maneat, acrioris viri esse merito perire.* Apud sæpe allegatū Tacitum hæc quoque Civilis oratio notanda: *Victis nihil aliud*

i) lib. 4. c. 14.

l) lib. 9. c. 6.

m) in Catil. c. 58

n) Tacit. in agric. c. 31.

o) Tacit. 1. hist. c. 13.

aliud expectandum, quàm immortalia tributa, virgas, secures, & dominorum ingenia, & ut tot armatorum millia, velut grex venalium serviant.

Laude facundiæ & virtute excitandi & confirmandi suos nostro ævo conspicui fuerunt plurimi Exercitus Duces, utriusque partis, quorum conciones referre, cùm apud alios & recentiores quosdam Historicos in lingua Germanica publicatæ passim exstent, supersedeo, adeoque Benevolum Lectorem ad eos relego: Defunctum Angliæ Regem, Carolum, producam, qui virtute facundiæ præ aliis maximè claruit.

Movere sanè quemvis oratio illa videtur, quam habuit ad

ad milites suos, cùm Londinum versus duodecim millibus peditum, & sexcentis & tribus millibus equitum instructus, ad quos insuper duo millia & octingenta militum utriusque velitationis, quos vulgo Dragonos vocant, in itinere accesserant, tendebat, secum habens octodecim tormenta, cùm, inquam, hâc potentiâ militari fretus Londinum propiùs accederet, brevi quidem ast nervosa oratione, causam, quamobrem arma cepisset, toti exercitui, & singulis ejus turmis exponebat; culpando in Senatoribus Parlamentariis gravissimè contumaciam pariter & ambitionem, & dominandi cupiditatem, ut & temeritatem sum-

summam, quâ Regiam indies violare authoritatem non erubescerent, & antiquissimas Imperii Anglicani leges conculcare non dubitarent: addebat, quod in hujusmodi violatores ferro agendum esset, utpote inimicos Dei, Religionis, Patriæ, & bonarum legum: se quidem rationibus, literis, adhortationibus, concessionibus, indulgendo, orando, precando, adnisum esse, ad bonam mentem reducere inimicos suos, sed frustra, quare nihil sibi ad obtinendum, quod æquum & justum est, reliquũ esse, quàm aciem gladii, quô ad vindictam accingere Reges placuisset Deo: Verùm cum ille Deus detestetur reprobos, & odisse soleat

leat peccatores, quamvis justissimam defenderent caussam, admonebat suos, ut purgatis & castis mentibus adsisterent suo legitimo bello, & darent operam, ut placerent Deo, & manerent in gratia ejus, ut vincerent magis innocentiâ & pietate, quàm ferro: temperarent igitur linguas à blasphemiis, vitio omnium criminum longè maximo, & meritò execrando, abstinerent à duellis, jurgiis & rixis, quibus in se ipsos sævirent, fugerent voluptates venereas, quibus animũ pariter & corpus affligerent, maximè autem à præda & latrocinio sibi caverent, improbũ putantes versari in sanguine & lachrymis innocentium tàm Catho-

corum,

licorũ, quàm Protestantium, ab illorum bonis averterent manus, antequam rei judicati fuissent criminis læsæ Majestatis, ab horum autem, utpote sociorum & fratrum suorum. Hoc si facturi essent, se Deum vindicem & Patronũ habituros, qui inimicorum suorum conatus vanos redditurus esset.

IpseRexCarolus, ut ulteriùs ad munia militaria strenuè obeunda, quemvis vocaret, quâ poterat dulcedine, suorum militum aures mulcebat, se carum caput suum concredere fidei & virtuti militum suorum, dicebat, quibus post Deum omnia tribueret: se quidẽ nihil magis in optatis habere, quàm à sanguine &

cæde abſtinere, at neceſſitatem pugnandi ſibi imponi à Religione avitâ Anglorum, quàm variis ſectis contaminaſſent rebelles, imponi ſibi per diadema, quod Dei gratiâ geſtaret, quodve contra Dei ordinationem rapere ſibi vellent ambitioſiſſimi Parlamentarii, imponi ab ipſis Regni Anglicani legibus, quas corrumpere auderent illi, qui authoritatem ſibi in illas abſolutam ſumpſiſſent, & ſtare ſupra Regem à Deo ipſis præpoſitum vellent. Mox jurejurando ſe avitam Anglorum religionem propugnaturum eſſe promittebat, hanc in vita pariter & morte ſe profiteri velle, in moderando autem imperio ſe ad præſcriptum legum

gum Anglicarum Sceptra temperaturum, & libertatem publicam masculè defensurum esse, asserebat, huic rei unicè studendo, ut quilibet incolarum proprietate bonorum suorum gaudeat, gaudeat & privilegiis, necnon se operam daturum ajebat, ut Parlamentum suis Prærogativis & Regalibus integrè frui possit, iis etiam, quæ de novo ipsi concessisset: rationibus igitur & legibus, ut bonum Patremfamilias decet, se acturum in suos. Facto juramento, cùm staret sententia, petere Londinum, cùm propiùs urbi accessisset, jussu Parlamenti Essexius Regi cùm numeroso milite in occursum datus, aniaque conferendi manus

manus porrecta, vi hujus orationis strenuè pugnarunt Regii ad locum Edegot, ubi tria millia Parlamentariorum illa die desiderata, exceptis captivis, ipse Essexius duodecim tormentorum & omnium impedimentorū jactura Kentonum recedere coactus fuit.

Concludo itaque cum Tacito, (q) *quod auctoritas viro militari pro facundia, & facundia pro authoritate sit.*

q) 1. annal. c. 26.

DISCURSUS V.

QUA RATIONE IN INFERENDIS OBSESSIONIBUS DUCI BELLICO PROCEDENDUM SIT, DISSERITUR.

CAmpum apertum & liberum hosti relinquere, omni tempore pro manifesto

festo signo succubuisse adversarium, eumque fortunæ cedere velle, habitum fuit: quare de arbitrio campi, nunquam non pertinaciter pugnabit expertus belli Dux, & de eo non nisi compulsus se subducet: quæ res partam Ducis Friedtlandiæ in famoso illo ad Lützam prælio, gloriam, in quo æquo Marte cum Suecis certatum fuit, valdè obscuravit, cum demigrare loco pugnæ visus est, Suecis in gradu suo quem ante prælium ceperant, subsistentibus.

Duæ autem magni momenti res sunt, quæ communiter belli Ducibus, per apertum campum volitantibus, occurrere solent: prima est, *prælium*; alte-

altera, *obsessio urbium*: ab his duabus actionibus tristes pariter & secundi rerum bellicarum successus dependent.

Quare rectissimè *perrarò nimis bonũ Imperatorẽ signis collatis decertare debere, nisi summa necessitudo, aut summa ei occasio data sit*, Paulus Æmilius edixit *(a)* & Cæsar August⁹, *prælium nunquam suscipiendũ esse* putavit, *nisi cùm major emolumenti spes, quàm damni metus ostenditur*. *(b)* Cum porrò autem ad illud Livii: *(c) Stultitia sit, sedendo, ac votis debellari hostem posse, credere velle*, in aciem deducendus aliquando Exercitus, & copia pugnandi faciẽda, quod, ut in tempore, & ex voto fiat, Vegetius *(d)* hoc monito edocuit: *Dux vigilans*,

a) Sempronius apud A. Gellium noctium Attic. lib. 13. c. 3. f.
b) Suetonius c. 25 in fin.
c) lib. 22. c. 14. f.
d) lib. 3. c. 9.

lans, sobrius, prudens, tanquam de civili causa inter partes judicaturus, adhibito consilio, de suis & adversarii copiis judicet, & si multis rebus superior invenitur, opportunum sibi ne differat conflictum. Hoc modo sæpè Victores evaserunt Alexander Magnus, Scipio, Annibal, Cæsar, & alii.

Verum missis jam iis, quæ circa prælia in medium afferri possunt, ad oppugnationes Urbium, discursum nostrum pro tempore flectemus. Videntur autem illæ trium esse generum: prima species labefactandi locum quendam, videtur esse *obsessio illa larga*, quam vulgò *blocata* vocant, quando parvo militum numero, de longinquo obsidio-

C ne

ne urgetur locus, & insessis omnibus viis obsessis annonæ subvectio prohibetur. Altera species est *obsessio arcta*, quando ipsis portis inhærent obsessores, qua obsidione quatere urbem solent plerunque ii, qui liberius per campum hostilem grassantur, & numeroso abundant milite, parato illis qui ad succurrendum veniunt sese opponere. Tertia species obsessionis est *arctissima*, quando fugato & depulso hoste, & spe locum obsidione eximendi sublatâ, ab inimico coronam patitur.

Ad faciendam arctam obsidionē, utpote quæ frequentissimè in bello tentari solet, requiritur, primò campi hostilis arbitrium, magna militis

tis copia, tam ad impedienda obſeſſis auxilia, quam ad inferendam hoſti ſuppetias ferenti vim, & cum nihil æquè diſſipare copias oppugnantium ſoleat, quàm longa & faſtidioſa & periculoſa obſeſſio, qui numeroſo non gaudebit milite, ab hujusmodi obſeſſionibus meritò abſtinebit: requiritur ulteriùs immenſa pecunia, ob ſumptus maximos, qui impenduntur ad formanda caſtra, eaque circumvallanda, ad agendos cuniculos, ad moliendum infra humum, ſeu ad faciendas minas, ut vulgo vocant, & quæ ſunt alia ad expugnandum neceſſaria opera quàm plurima. His omnibus autem inſtructus ſi fuerit belli Dux, &

operæ pretium fore putaverit, tentare quandam obsessionem, aggressionem suam usq; ad extremum celabit, adeoq; omni ex parte dubium & disstractum relinquet hostem, ambigentem, quem locũ petere velit, imò nonnunquam præ se ferat, se alium locũ circumdare destinasse, ex improviso autem adoriatur alium: quod olim Julii Cæsaris artificium erat, maximè quando Gergobiam obsidere in animo habebat. Noviter hac in parte imitatus Cæsarem Marchio Spinola, cui cum de subjicienda Regi Hispaniarum Bredâ, sententia stetisset, & nosset non destiturum Mauritium, Nassoviæ Comitem, fortunis Bredæ ocyus auxilium

lium afferre, ut deciperet oculatissimum Mauritium, simulavit se impetum facturũ in quendam Geldriæ locum, Gravam dictum, adeoque securum reddens Mauritium, cum ille de salute Bredæ parum prospiceret, subitò gradum flectendo, Bredam obsidet, quæ tandem Spinolæ armis cedere coacta fuit. Dux Feriæ ad suppetias, Brisaco inferendas, ex Italia copias adduxerat, qui cùm ad impediendа urbi auxilia obvios sibi haberet Suecos, fingebat se Danubium transiturum esse; hoc cum prohibere maximè vellent Sueci, ex improviso Rinfeldam adoritur & capit, posteaque Aldringero se jungendo, Brisacum ab obsidione liberabat.

 Post-

Postquam igitur obsidione quatere Urbem incepit expertus Belli Dux, munitionibus & vallo tàm versus obsessos, quàm versus eos, qui auxilio venire possunt, exercitum suum obtegat, adeo ut frontem pariter & tergum ab Irruptionibus tutum habeat, de die & nocte actionibus hostis sui intentus; maximè de nocte, cùm ad illud Livii (e) *plus pavoris militibus ea inferre soleat*. Utrumque non neglexit Cæsar; (f) non primum: cùm enim Alexiam obsidione premeret, castris suis 83, castella apposuit, in quibus interdiu stationes disponebantur, ne qua subita irruptio fieret, hæc eadem noctu quoq; excubitoribus ac firmis præsidiis

(e) Decad. 1. lib. 5.

(f) bello Gallico. lib. 7.

ſidiis tenebantur: non ſecundum: cùm enim ad(g)Uzitam hæreret, hac ratione opus inſtituebat, ut cùm propius oppidum copias admoviſſet, & " oppugnare illud cœpiſſet, un- " dique tecta latera ſuis muni- " tionibus haberet, ne ab Equi- " tatus hoſtici multitudine cir- " cumventus, ab oppugnatione " deterreretur. "

g) A. Hirtius bell. Affric. 1.

Batavi cum Trajectum Moſæ (Maſtrich) pertinaciter oppugnarent, poſitis ad illud caſtris, armis ferroque diligentiſſimè illa vallaverant, ut nõ reliquiſſe aditum niſi à cœlo venturis hoſtibus viderentur, ad danda obſeſſis auxilia ob loci opportunitatem & avertendam maximam, qui ex ejus amiſſione naſci poterat re-

bus Hispanicis jacturam, properanter accurrebant Hispani, Comes Papenheimius, relictâ etiam superiore Germaniâ, succenturiatis copiis ad solvendam obsidionem aderat: verum in vanum; nullam enim nudam, aut solitariam aut improtectam castrorum reperiens partem, tandem referre pedem cogebatur, Trajecto postea à Batavis superato. Hanc castra communiend artem qui in oppugnando non callebit, aut neglexerit facile se, totumque exercitum in casum dabit: quod accidi Philippo (b) Macedonum Regi, qui cum Appolloniam "obsideret, & negligenter adi "tus ad castra sua custodivisset "Nævius Crispus milites pe via

(b) Liv. Decad. 3. l. 4.

viam minimè à Regiis obses- „
sam duxit in urbem, & nocte „
ita ut nemo hostium sentiret, „
urbem est ingressus, die tertiâ „
autem, silentio noctis, ab ur- „
be sine ullo tumultu egressus, „
in castra hostium adeo negle- „
cta & aperta irruit, & Regem „
cum omnibus copiis ab urbe
rejecit. Idem accidit Marco
Octavio, Pompei Capitaneo,
quum Salonas obsideret, de
quo Julius Cæsar. (i)

i) lib. 3. de bello Civili.

Cùm anno hujus Seculi XL. Marchio de Leganes, Mediolani Gubernator, ab Aulâ Hispanicâ adversus notissimum illud Montisferrati oppidum, quod meritò petram scandali in Italiâ dixeris, Casalin puto, obsidionem moliri secundò jussus esset,

ille autem castra, quæ ad eam posuerat, vallo circumcirca prout res poscebat, munire, aut difficultate loci, aut brevitate temporis impeditus, neglexerat, à Comite Harcurtio, intra sepimenta sua, cô locô, quô minùs firma erant, infesto agmine petitus, oppugnationem quam sumpserat, solvere coactus fuit.

Quoniam autem in obsidione longior ejus tractus diminuere semper exercitum solet, quod luculenter olim Græcis demonstrabat (l) T. Quintius Romanus, quando ab obsidenda Lacedæmone avocare eos volebat: *rem lentam esse oppugnationem urbium, & obsidentibus prius sæpè quàm obsessis tædium afferre*, *dicebat*,

(l) Liv. decad. 4. l. 4.

dicebat, *impensa quoq; magna egere obsidionem, in opera, in machinationes, in tormenta, quibus magna urbs oppugnanda est, in commeatus etiam, in hyemem aliquando expediendos*: meritò igitur qui diutius ad munitum quendam locũ hærere cogitur, ante omnia de commeatu curam aget, & ne annonæ difficultatem patiatur, providebit, subinde etiam submissis novis & recentioribus turmis, integrum curabit habere exercitum, non deerit autem obsessoribus victus copia, si à tergo provinciam annonæ fœcundam relinquent, & ne ab hoste commeatu intercludantur, operam dabunt.

Romani ad Agrigentum

pertinaciter obsidionem premebant, cum Hiero Rex Syracusanorum largiter eis annonam subministrabat. Hispani Bredam, Batavis frustra resistentibus, sui juris fecerunt, cùm in vicino haberent Flandriam, quæ commeatus suppeditabat cumulatissimè: è contra cùm Æmilius & Brutus, Palantiam, citerioris Hispaniæ oppidum, oppugnarent, & in longum traheretur obsessio, qui fame coercere obsessos volebant, ipsi commeatu prohibiti, retrocedere coacti sunt. Metim Carolus V. omni vi impugnabat; ast interclusus commeatu, solvere tandem obsidionem coactus fuit.

Quantum ad acceleran dam obses-

obſeſſionem faciat militem habere recentem & numeroſum; teſtantur Turcæ, quorū patria cum redundet hominibus, Hungariam & Cyprum Inſulam, ſolâ multitudine pugnantium, Chriſtianis indies deficientibus eripuerunt. Oſtenda Flandriæ Urbs, graviſſimè ab Hiſpanis obſeſſa, quamvis ſubindè nova à Batavis exciperet auxilia, diuturnitate obſidionis labefactata, ob auct[um] indies militum oppugnantium ferociam atque frequentiam, cedere tandem fortunæ coacta fuit. Hoc ipſum non infrequens Gallis, qui ſi fortem aliquem locum ſuperare conſtituunt, numeroſo eum aggrediuntur milite, & ſubmiſſo
 ſem-

semper novo bellatorum globo, prodigo eorum sanguine urgent opus, & hoc modo plurima sæpè loca subegerunt.

Cùm autem egregii belli Ducis sit, sanguine humano parcius uti, nunquam non pronas eum aures ad voces sese submittentiū habere debere putant, nec difficilem se præbere jubent illis, qui de dedendâ urbe pacisci cum eo volunt. Docet hoc maximus ille bellatorum Julius Cæsar, cùm enim Corfinium obsideret, allatum ei nuncium fuit, paratos esse obsessos portas aperire, quæque imperaverit facere, statim ille assensit, haud ignorans, quòd sæpè in bello parvis momentis magni casus intercedant. Nec

Nec planè abs re erit, si pertinaciam obsessorum viderit, & ad solvendam obsidionem adventare auxilia exaudiverit obsessor, falsis rumoribus, quasi jam conclamatum esset de obsessis, succurrentes ab opere deterrere, quod fecisse apud Thucydidem Athenienses legimus, ubi omnes in unum mendaciis congruebant nuncii, jam penitus clausas esse operibus & munitionibus Syracusas, Gylippus, qui classe ad eximendas obsidione Syracusas jam accinctus erat, vanum esse putans ulterius progredi, aliorsum se flectebat.

Quod si autem obsessos amplitudine loci & munitionibus suis fretos, aut magno mili-

militũ defendentium globo confisos, producere obsidionem viderit, adeòque facili operâ eos prohibere motus atque conatus suos posse, animadverterit, fame potiùs quàm ferro de statu dejicere pertentet; quod fecisse Cyrum testatur Xenophon, (m) qui cum ante Babylonem Exercitum suum collocasset, convocatis omnibus, qui rebus gerendis idonei erant, ad eos ita locutus est:

m) Pædia Cyri lib. 7. n. 10

Urbem socii undiq; contemplati sumus, atq; equidem quo pacto quis adeò firmos & excelsos muros oppugnando capere possit, videre mihi non videor: quantò autem plures homines in urbe sunt, quando ad pugnandum non exeunt, tantò citiùs fo-

re

re, ut fame capiantur, arbitror. Et (*n*) Lysander, cùm obsideret Athenas, præsidiarios Athenienſium, atq; alios quoscunq; reperiebat Athenienses, Athenas ablegabat, eò tantùm navigandi immunitate concessa, non usquam aliò; noverat enim tantò citiùs commeatu carituros, quantò plures ad Urbem, & in Piræum confluerent. Sic (*o*) Cæsar premendo Alexiam, cùm ad munitiones ejus plurimi obsessorum flentes ac cessissent, omnibusque precibus orassent, ut se in servitutem receptos, cibo juvaret, dispositis in vallo custodiis recipi eos prohibebat. Idem (*p*) Mnasippus Lacedæmon fecit, cum Cerciram obsideret.

n) Xenophon bell. Graec. lib. 2. n. 3.

o) Bello Gallico lib. 7.

p) Xenophon bello Graec. l. 2.

q) de bello Gall. l. 8. De (q) Cæsare iterum notabile, quod cum Uxelludunum „præruptum undiq; oppidum „subjugare vellet, cum vi experiri difficile nimium ratus esset, aqua fluminis & fontis, „qui sub oppidi muris prorumpebat, prohibebat oppidanos, ad postremum cuniculis „venas fontis intercidendo, „easque avertendo, sic ad deditionem obsessos cogebat: Hierosolymas Titus Vespasianus fame quoque perdomuit; Henricus IV. & Ludovicus XIII. Gallorum Reges, cùm ille Luteriam, hic Rupellas armis superare nō possent, munitionibus suis inclusos cives, fame macerarunt, & ad facienda imperata coegerunt: Maximè autem omnium de-

spera-

ſperatio incutienda animis militum obſeſſorũ, quæ præprimis incedet, quoties captæ jam alicujus vicinæ Urbis ſpolia apud obſeſſores ſuos videbunt obſeſſi: quod iterum feciſſe Cæſarem (r) in bello Civili legimus: qui cum Urbem Theſſaliæ, Metropolin dedi ſibi juſſiſſet, ad murum producendos curavit captivos Gomphenſes, quorum Urbem paulò antea diripuerat, Metropolitæ cognito caſu ex captivis, non dubitarunt portas aperire Cæſari. Idem Cæſar profligato ante Thapſum Scipione, captos in prælio Elephantos ſexaginta quatuor, ante oppidum inſtructos conſtituit, hoc conſilio, ut Virgilium, quique cum eo obſide- ban-

r) de bello Civili l. 3

"bantur, indicio rei malè à suis "gestæ, à pertinaciâ deduceret. "(s) Obsessi Nördtlingani, cum anno M.DC.XXXIV. ex signis & trophæis in conspectum suum à Cæsareanis apportatis, ingentem suorum cladem percepissent, haut diu deliberarunt quovis modo cum hoste pacisci. Hæc ratione obsidentium in bello observanda: transeamus ad obsessos.

s) Hirt. de bello Afric.

DISCURSUS VI.

QVA RATIONE OBSESSIS defensio sui incumbat, attendi quoq; debet.

ADmodum benè Cæcina apud Tacitum: *Unam in armis salutem, sed ea consilio temperandam esse.*

esse, dixit: si unquam sanè consilia usui in bello, in retinendis iis, quæ possides, maximè necessaria: (a) *facilius enim est quædam vincere, quàm tenere*: & fortunam citiùs reperias quàm retineas: seu ut cum Floro (b) loquar, *difficilius est provincias obtinere, quàm facere, viribus parantur, jure retinetur*. Quare quicunque Principum per terram suam grassari hostem viderit, ne aliquem status sui locum insultet inimicus, meritò vereri potest: quamprimum igitur tali in casu cavebit atq; prospiciet, ne egeat urbs ista, de cujus obsidione cõjecturâ præsagiet: Nam *certissimâ clade hostis afficitur*, notanter apud Thucydidem (c) dicitur,

a) Curt. lib. 4. 11.

b) Florus lib. 4. c. ult.

c) lib. de bello Pelop.

si

si quis ab eà parte, quà sibi ma-ximè timere probè cognitum habet, adoriatur: nam quia re-ctissimè sua incommoda intelli-gunt, haud vanus esse metus il-potest. Ergò ubi impetum ho-stilem maximè quis metuet ibi maximè defensionem procurabit, quod fit, si in tem-pore *milite* & *annonâ* laboran-tes conservatum ire perget.

Numerum autem defen-sorum ad multitudinem exer-citus hostilis aptabit, nec si-tum urbis posthabebit, scili-cet an latè pateat urbs, an mi-nus latè pateat perpendet; se-cundùm ejus positum igitur induet defensorum copias. Si minorum virium hostem esse deprehendet, minor et-iam manus tutelæ status sui

suffi-

sufficiet: si majoris potentiæ inimicum extimescet, quia variis in locis expugnare urbem poterit, magno militum globo ad defensionem ejus opus habebit. Situm quod attinet, semper secundùm loci genium plura vel minora ad tuendum eum arma sumet. Loca ista, quæ præruptis montibus instructa, aut quæ ad paludis & lacus cujusdam voragines posita erunt, difficilem semper aditum hostibus præbent, quare sub armis paucorum militũ tuta delitescent: aliqua loca vallo, fossa & aggere maximo, secundùm omnes novæ militiæ artes & regulas modernæ defensionis, cincta sunt, hæc sub tutela non adeò numerosi militis quie-

quiescent: aliqua loca non admodum firmo munimento, ad antiquum adhuc adornata sunt, hæc majorem militum copiam requirent, qui defectū munitionis laterum suorum opposito tutum reddent. Sic Melita anno Salutis M. D. LXIV. à Solimanno ducentarum & quinque navium classe vehementer oppugnata, ab exigui Christiani militis manu defensa, opportunitate situs sui, Barbarum post sextum mensem ejecit, qui ad Melitam XXIII. millia suorum desideravit. Rupellæ, beneficio circumflui maris, & capacissimi portus, sub mediocri præsidio, potentissimi Galliarum Regis pertinacissima arma, maximosque ejus

ejus conatus, in longum ſuſtinuerunt. Straleſundia ad maris Baltici fluctus ſita, ſub murmure freti tuta, alacres Walenſteinii impetus levi ſuorũ manu repulit. Viennæ Auſtriæ, & Agria Ungariæ urbes, ex una parte Danubio adjacentes, ex altera fertiliſſimos campos reſpicientes, non ita magno ſub militum præſidio tempeſtatem Turcicam & reiteratos Solimanni incurſus fortiter pertulerunt. Patavium Italiæ, Ingolſtadiũ Bavariæ urbes, utræque ex unâ parte ad latè patentes campos, ex altera ad undas fluvii Brentæ & Danubii poſitæ, Maximiliani I. & Guſtavi Adolphi Suecorum Regis, victricia ſigna recedere coegerunt.

Hæc loca omnia beneficio
positus sui, exiguo militum
robore acres hostium impe-
tus imperterrita exceperunt.
Maximè autem omnium in
virtutem præsidiariorum in-
inquirendum & probè atten-
dendũ est, an ad defensionem
loci habiles sint, necne, an
sint manu strenui, veteres &
expertes belli, an verò ex rure
venientes, nondum perfuncti
militia, quique ad pugnam
pertimescere solent. Sic Mag-
deburgum sub præsidio igna-
vi & sine animo militis, exci-
sionem & inflammationem
hostium miserè experta est.
Impigro igitur milite & an-
nonâ, quantum in longam
obsidionem satis est, instructa
si urbs fuerit, expectabit im-
pe-

perterrita hostis adventum: ubi haut inconsultum erit ad longiorem alimentorum usum, attonitum & imperitum vulgus ante obsidionem ex urbe exire jubere, quod apud *(d)* Thucydidem Platæenses fecisse legimus: qui cum ad Archidami minas vim ejus bellicam experiri secum constituissent, *fæminas, puerosq́ue & cæteram inutilem bello turbam, urbe suâ exportandam curarunt.* Non omittet etiam ille qui urbem contra hostem tenebit, victum parcè & continenter inter cives & milites distribuere, quod fecerunt Philasii ab Agesilao obsessi, qui communi decreto statuerunt, *dimidio minus durante obsidione in usum quotidianum*

d) lib. 2. bello Pel.

impendere, quàm prius, id cùm strictè observassent, tempore duplo majori, quàm esset credibile, sustinendæ obsidioni suffecerunt: τὸ σῖτον ἐγκράτεια γαστρὸς διαφέρει: *tantùm exclamat* Xenophon, *(e) inter gulam & abstinentiam interest*! Idem fecisse Vercingetoricem testatur Cæsar, *(f)* cum eum graviter ad Alexiam obsidione premeret: nec caruit aliquando successu annonam si fortè apud obsessos ingravescebat, quovis modo hostem celare, quod apud Livium, *(g)* Manliũ fecisse legimus: cum enim Senones Capitolium, in quod juventus sese receperat, obsidione clausissent, & fames Romanos in arcem receptos, valdè emaceraret, adeoque durâ

(e) *bello Græc. l. 5 n. 6.*

(f) *bello Gallic. lib. 7.*

(g) *Liv. Decad. 1. Lib 5.*

durâ hac necessitate ad deditionem vocatum iri obsessos putarent Galli, avertendæ ejus opinionis causâ multis locis panem in stationes hostium de Capitolio jactabant Romani, adeoque *famem, quàm magis ferre non poterant, dissimulare tamen volebant.*

Si magnâ militum vi instructus obsidionem urbi inferet hostis, obsessi à crebris irruptionibus in castra hostium sibi temperabunt, quia hujusmodi in confertissimas inimicorum stationes incursus rarò absque sanguine & cæde utriusque partis fieri solent, amittendo autem decem milites obsessi, maximè si defensoribus non abundabunt, quamvis ex parte obsiden-

 tium

tium perierint centum, majus damnum illi, quam hi sentient, præprimis si de suppetiis ferendis spes nulla apparebit. Hoc egregiè docet Cominæus, quando Leodicensium temeritatem describit, qui ad adventum Caroli Burgundi, qui robustissimas legiones cervibus & bonis eorũ induxerat, subitò omnibus copiis ex urbe provolarunt, & in Burgundiones impetum fecerunt: *Eruptiones illæ*, inquit citatus Cominæus, *tametsi necessariò fiant aliquando, valdè tamen sunt iis, qui obsidentur periculosæ, nullam enim isti faciunt tam parvam jacturam, quin eis & propter paucitatem suorum, & simul propter difficultatem recuperandi no-*

va præsidia, longè maxima videri debeat : maximè autem omnium periculosum est, cum civibus & incolis in hostem obsidentem prorumpere aut evehi, qui quamvis proterant eum, absq; cæde tamen & sanguine reverti rarò videntur, ita autem redeuntes, gemitu & ululatu tecta suorum implent, & cæteros quoque ab officio & re benè gerenda deterrent. Danda ulteriùs opera obsessis, diligenter munita æquè ac non munita loca præsidio firmare, quia si quædã indefensa relinquunt, proditione ac perfidiâ quorundam hoc manifestum hosti fieri poterit, qui non intermittet arduum quamvis, indefensum tamen locũ omni

impetu impugnare, qui ſicut efficaciter & potenter à milite defenſus, difficillimus captu eſt, ita malè cuſtoditus, facilè in poteſtatem hoſtium venire poteſt: Egregia in hanc rem apud *(h)* Thucydidem Demoſthenis extat oratio ad milites ſuos Pylum contra Lacedæmonios tutantes: *Quod locus hic (*intellige Pylus, caſtellum Meſſeniæ*) acceſſum difficilem habet, id pro nobis facere judico, ſiquidem ſi nos impetum hoſtilem ſuſtinere velimus, nobis eſt auxilio futurus, ſi cedamus, facilè nemine prohibente ab hoſte ſuperabitur, ipſumq́ hoſtem graviorem deindè ſumus habituri, in ea loca redactum, undè receptus ipſi etſi à nobis urgeatur, facilis non ſit.*

h) lib. 4. bello Pel.

Sic

Sic Sardeorum civitas capta à Lagora Antiochi præfecto militari; cum enim post longam & difficilem obsidionem locum quendam quem Serram vocabant, sine ulla custodia neglectum manere animadvertisset, insidiis eum petiit, & hoc modo locum istum superando, dominio Antiochi urbem addidit. *(i)*

(i) Polybius l.7.

Cum autem hodiè tot & tantæ oppugnatorum supersint machinæ, tot & tanta nova impressionum ab adversariis extent & fiant quotidiè opera, tot & tanta vice versâ sint pericula, quibus expositi obsessi, facilè fieri potest, ut animos despondeant; quare amicorum aut sociorum au-

xiliis opus habebunt, quæ sola ex instante ruina extrahere obsessos aliquando poterunt. Cum autem hujusmodi auxilia, quæ vulgò *succursus* vocantur, non de facili sint, præprimis si in potentem hostem eundum, & qui undique vallo aut aggere clausus, si itaque de suppetiis ferendis cogitabit amicus aut confœderatus, antequã omnia in ordine sunt, expediet aliquando, obsessis missis crebris nuntiis animos addere, & spem de auxiliis facere, adhortando illos, ut paululum adhuc propugnationem sui continuent; id quod fecisse Pednelissenses cum à Selgensibus obsiderentur, testis est Polybius: (*l*)cum enim
(*l*)lib. 5.
" in summo discrimine res eorũ
" essent,

essent. Legatos ad Achæum ,,
de subsidiis miserunt, quos ,,
cum Achæus libenter audiisset, seque omnia in salutem eorum facturum pollicitus esset, hi magno & forti animo obsidionem tolerabant, spe futuri præsidii audaciores facti. Idem fecerunt graviter obsessi Nordtlingenses; cum enim ante famosissimum illud ad Nordtlingam prælium, urbs ipsa à Cæsareanis omni vi oppugnaretur, Sueci qui urbem tenebant, quàm potuerunt fortissimè restiterunt, tandem autem ad auxilia sociorum suorum confugerunt, quæ cum sera nimium venissent, ad excelsam quandam urbis suæ turrim ignes duobus in locis appli-

cuerunt, ut interdiu ſumare videntes vaſtigia turris legiones ſociæ, jam jam ad auxilia ferenda adventantes, hoc ſigno ſe in ſummo diſcrimine verſari animadverterent, & eapropter urgerent iter ſuũ: quod cum exercitus collegiatorum de longinquo perſpexiſſet, explodendo duo quædam majora tormenta, duplicato hoc fragore, ſtarent adhuc duos dies in defenſione indicare obſeſſis voluit, Gallaſſius hac ipſa die ad dedendam urbem vocabat obſeſſos, ni aperirent portas ſe vaſtam ex oppido ſolitudinem ſacturum minabatur; hi ex dato à ſubſidiariis copiis in propinquo ſtantibus ſigno, animoſiores facti, duas con-

cedi sibi ad deliberandum dies petunt, in quorum vicem aliquot tantum horæ indulgebantur, quibus elapsis cum nihil respondissent obsessoribus, tribus simul locis ancipiti terrore urbs tentata fuit, quæ tunc tamen mœnibus suis hostem propulsavit.

Si obsessis in tempore subsidio veniendi non datur copia, nec durat animus, fortè quòd campestres hostis munitiones prohibeant aditum, aut exiguæ nimium sint succurrentium vires, ne tamen auxilio careant socii, subsidiariæ quædam cohortes in amicos aut subditos, aut socios obsidentium, quibus non defuturos oppugnatores sperabimus, immittendæ e-

runt. Hoc antiquissimo succurrendi remedio usi sunt veteres: (m) sic Annibal impossibile fore ratus, ut obsidionem Capuæ dissolveret, ad aliud consilium se contulit: *Cogitabat* enim *futurum, ut si occultè profectus, locis Romæ vicinis subitò immineret, eos qui cum Appio erant, vel obsidionem solvere se coacturum esse, ut Patriæ succurrerent, vel Exercitum dividerent, adeoq; ii qui Patriæ suppetias ferrent, & qui in obsidione relinquerentur, facilè vinci posse*, dexterrimè judicabat.

(m) Polyb. lib. 9. sub prin.

Cæsar ut Cneum Pompejum ab oppugnatione Ullæ, quæ Civitas omni tempore optimè de populo Romano merita erat, deduceret, Cordubam

dubâ contendit, & Cn. Pompejum Ullâ propè captâ, cum copiis ad Cordubam juvandam iter facere coegit (n) Corinthii cum obsessis ab Atheniensibus Æginetis copiis suis præstò esse vellent, hoc autem aperto Marte facere non confiderent, in Megarenses agros excursionem fecerunt, rati, nullo modo Megarensibus succurrere posse Athenienses, quia multis simul bellis & in Ægypto, & in Ægina occupatos videbant, adeoque si maximè eis opitulari vellent, Æginam fortè omissuros. (o) Sic Buchingamus Anglus, cum maximam Rupellanis suppetias ferendi difficultatem videret, nec superari eam posse putaret, Insulam

n) A. Hirtius de bello Hisp. l. 1.

o) Thucydides l. 1.

ſulam *de Re* Rupellis oppoſitam adoriebatur, quâ captâ à cervicibus Rupellanorum imminentẽ ruinam pro tempore trahendo, & Regi Gallorum in recipienda inſula negotium faceſſendo, Rupellanis ſe contra impetum hoſtilem fortiùs ſuſtinendum præparandi ſpacium dabat.

DISCURSUS VII.

CONFLICTUS TERREſtres, cùm magna poſt ſe trahant commoda & incommoda, prudenter & circumſpectè ſemper ineundi.

HActenus de boni Ducis bellici officio, tam circa inferendas urbi obſeſſiones, quàm circa illas à mœ-

à mœnibus propulſandas, egimus: reſtat ut perpendamus ea, quæ ſtrenuò Duci facienda ſunt, ſi cum copiis ſuis in campum exire neceſſe habet, & ad manus cum hoſte venire cogitur. Sanè cum ad illud Ciceronis *incerti exitus pugnarũ ſint, & Mars communis, qui ſæpè ſpoliantem jam & exultantem evertit, & perculit ab objecto*; cum conſilio ſemper & judicio in diſcrimen res bellica mittenda, maximè ſi ad hujusmodi certamen deſcendendum eſt, ex quo ſalus Reipublicæ periclitari poteſt. Hoc non neglexit ad animum revocare militibus ſuis Braſidas apud *(a)* Thucydidem, quando contra Athenienſes pugnandum erat: *Hæc vobis dies,* excla-

a) lib. 4. n. 52.

exclamabat, *aut libertatem si viros fortes vos gesseritis afferet, & Lacedæmoniorumq; socii vocabimini, aut Atheniensium servi fietis*: & Annibal in colloquio suo cum Scipione, pro argumento ad persuadendam pacem faciente usus est, quando (b) *simul parta ac sperata decora, unius horæ fortunâ evertere posse*, probè ipsi considerandum proposuit. Sic unico secundo prælio Carthaginem sibi subjecerunt Romani, unico ad Cynoscephalas in Tessaliâ debellarunt Philippum Macedonem, unico L. Cornelius Scipio vicit Antiochū, unico L. Æmilius Paulus domuit Perseum, & tribus sub potestatem suam redegit Darium Alexander. Audiamus egregiè

(b) Liv. Decad. 3. lib. 10.

egregiè hac de re differentem Cominæum: (c) *Est ſanè res plena periculi*, inquit, *dimicare prælio, propter incertisſimum eventum, nam etiam utut modica ſit accepta clades, fieri tamen non poteſt, quin aliqua fiat rerum converſio, partim metu hoſtium, partim contemptione & deſpectu illius, qui infeliciter pugnavit: Oritur fremitus & indignatio militum, qui magnis jacturis conciliandi ſunt: Optimum igitur eſt, ut qui prælium adverſum facit, contineat ſe quantum fieri poteſt inter ſuas munitiones, & experiatur, ſi quâ ratione non difficili posſit recuperare amiſſam gloriam, ut ſuis animum addat & metu liberet. Dici enim non poteſt, quantas ſecum incommoditates tra-*

c) lib. 1. Coment. de reb. geſt. Ludov. XI.

trahat adversum prælium: ubi qui victoriam adeptus est, authoritatem suam amplificat, & facilè quidvis impetrat, & militem habet ad quævis obsequentiorem; non est ergo, pergit idem Author alio in loco, *nisi necessariò dimicandum, & ante prælium de summa rei cogitandum. Nam qui meticulosè aliquid faciunt, & pavidè, meliùs ferè suis rebus prospiciunt, & sæpius vincunt, quàm illi, qui fastuosè & superbè progrediuntur*. Hoc suo loco, teste iterum Cominæo, expertus est potentissimus ille Carolus Burgundus, qui cum anteà gloriam non instrenui Ducis consecutus esset, ad Gransonium ab Helvetiis in fugam datus, quamvis septem modò cataphra-

phractos de suis desideraret, hoc unico adverso certamine multùm discriminis sibi attraxit.

Dici non potest, inquit ad rem hanc Cominæus (d) *quantum hac una re vulnus acceperit Carolus, nam ex amicis quatuor Principes, qui rebus secundis ad ejus amicitiam accesserunt, ad motum fortunæ se quoque moverunt*. Hac de causa non nisi coacti ad summam rerum in campo descendere solent Hispani, maximè verò si in statu Mediolanensi ad conferendas manus cum anniversario hoste Gallo perventum est; non nisi certi quasi de victoria ad inferendam pugnam hactenus accedere visi sunt. Sic cum Anno M. DC. XXX.

d) *lib. 7. Côment. de rebus gest. Ludov. XI.*

Gene-

Generalis ille Exercitus Hispanic. Dux, Marchio de Sancta Cruce, vidisset, gladiatorio quasi gressu ad ferendas fortalitio Casalino suppetias ad castra sua tendere Gallos, paratos ferrum stringere, maluit sub certis conditionibus motã de Marchionatu Montisferratensi litem componere, & de Castelli Caselini possessione transigere, quàm ad universæ rei dimicationem pervenire, quò facto, cum utrinq; ab armis sibi temperatum esset, causas detrectatæ pugnæ Regi suo Philippo IV. prolixè Marchio aperuit, epistolam autem suam insigni Ducis Albæ parœmia clausit: *Se non hauer eletto, d' aventurare lo stato di Milano contra una*

una sopra Veste di broccato: hoc est: se elegisse potius sub certis conditionibus cum Gallis de relinquendo statu Mediolanensi pacisci, quàm dubio sub eventu cum Gallis manus conserendo, exuviis illorum spolia amplissimi status opponere. Cautos itaq; decet esse & providos Belli Duces, si ad manus in bello veniendum est, quia, ut suprà dixi, anceps Martis solet esse eventus, & victis valde perniciosus: id quod probè semper consideravit Julius Cæsar, eapropter ut cum Afranio & Petrejo in Hispaniâ de summa rei ferro decerneret, difficulter adigi potuit.

Cum nostro seculo Venetis per Forũ Julii cum Archi-

duce Austriæ, & per Istriam cum Imperatore grave certamen esset, parùm autem prosperè per terrã res eorum succederet, cumque per mare ab Hispanis sibi opponi classes viderent Veneti, quæ ad sinum usq; maris Adriatici procinctæ excurrebant, cum autem ad Liesinam utræque armatæ classes, obviam se invicẽ haberent, Hispana in Venetam progredi cœpit, eo ipso puncto autem ventus, qui hactenus Hispanæ classi propitius erat, adverso flatu in eam sufflare incipiebat, nihilominùs quæ stabat sententia ineundæ pugnæ, ne quicquam à contrario vento & discrimine quod exinde nasci poterat, mutabatur. Proximè igitur ad

ad hostem ductæ cum invicem classes essent, Dux *Zane* Reipubl. Venetæ per mare Provisor, & supremus classis maritimæ Præfectus, postquam paululùm in conspectu hostium substitisset, negatâ Hispanis pugnandi copiâ cum omni apparatu suo bellico ad portum se conferebat: quamobrem cùm apud aliquos in varias reprehensiones incurreret, quòd nactus secundū in hostem eundi ventum, virib usq; insuper haut impar, maluerit certamini se subtrahere, quàm speratam victoriam persequi, apud Senatum tamen his rationibus factum suum comprobavit: quòd, cum Respubl. in proximo stantem potentem inimicum habue-

rit, qui ipsi capiti Reipubl. urbi Venetæ perditionem minatus erat, cumq; damnum cum fructu, qui ex certamine illo provenire poterat, conferendo, absq; contradictione major fuisset jactura, si fortè infeliciter pugnatum fuisset, quàm commodum, quod ex secundo prælio accipere Respubl. potuisset, cumque sufficiat Reipubl. si possessionem maris Veneti contra inimicū suum sibi asserat, videndo, se cum Hispano rem habere, qui ob varias causas diutiùs in illo morari, nec dominium ejus Reipub. in longum ambiguum reddere poterat, è re Reipub. fore semet existimasse, certum incerto præferre, adeoque pro præcipiti & incau-

cauto consilio habuisse, dubiæ ancipitis conflictus fortunæ classem illam committere, quæ sola & unica ad defendendam urbem restabat, quâ sublatâ aut depulsa, certissima ipsi urbi clades aut corona imminebat.

Et revera ita erat: cùm enim salus Reipubl. in classe ista cõsistebat, quæ tunc temporis totius rei militaris Venetæ nervum continebat, salva illa, Reipubl. animam, quæ in classe illâ quasi navigabat, incolumem & integram fore dextrè secum reputabat; fracta autem eâ aut amissâ, immedicabile vulnus infligi patriæ posse, judicabat. Accedebat hoc, quòd, quamvis victoria classem Venetam man-

ſiſſet, absque quadam clade & internecione res ex parte Reipub. Venetæ non peracta fuiſſet: aſt cum claſſis Turcica à Venetis ad ſuppetias vocata, non procul abeſſet, ſi illa claſſem Hiſpanicam diſſipatam aut depreſſam offendisſet, Venetam autem laceratam & debilem, haut ſine magno labore ad fauces usque urbis progredi, & facilè exequi illud potuiſſet, quod Hiſpanica ſolùm minata erat. Quare prudenter egiſſe Proviſorem cordatiores judicabãt, quòd periculo dubii certaminis ſubtrahere ſe potiùs voluerit, quàm in caſum patriam & totã Rempub. Chriſtianam dare, cùm in harum duarum claſſium vi, defenſio

Rei-

Reipub. Christianæ contra impetum Turcarum potissimùm consistebat: et quamvis ille Dominus ZANE cum Locotenenre suo, Domino *Belegno*, Reipub. ob amissam pugnandi optimam occasionem, privatione officii sui pœnas dependere coact⁹ fuerit, paulò pòst tamen re altius perspectâ, in Collegio *de Pregati*, cum numero omnium ferè suffragiorũ in integrum restitutus dicitur. Magno igitur judicio opus est in discernendo, quãdó copia pugnandi danda, & quando non: equidem, si occasio se offert, res in discrimen nonnunquam mittenda, maximè si fortè nervi & vires adtrahendum longius bellum non suppe-
 tent,

tent, & si alia ratio tollendi & sepeliendi bellum, quam ea, quæ in ancipitis prælii fato consistit, non superest, aut quando omnes cæteri continuandi belli modi, ad disperditionem proprii status & exitium tendent, item, *si nec commeatum, non supplementum, non pecuniam habebis*, verba sunt Livii, aut si subsidia, quibus copias suas ampliores reddet inimicus, in proximo habebit; *tum in aciem educendum*, monito Livii, seu ut Poeta monet, (*d*) *tunc capienda in rebus arduis præceps via est*. Sic Scipio cum Asdrubale Barchino (*e*) confligere optimum fore ratus est, antequam Mago atque Asdrubal Gisgonis filius, cum eo jungerent copias,

d) Senec. in Agam. Act. 2.

e) Livius decad. 3. lib. 7.

pias, & Cæsar *(f)* cum Germanis, cum audiret nova eos expectare auxilia.

f) bello Gallico lib. 4.

DISCURSUS VIII.

CUM VARII DENTUR in acie casus, quomodo iis prudentia humana aliquando obviam ire possit, differitur.

CUm ad egregium illud Livii: *Victoria in Deorum manibus sit, & omnia quæ agimus in bello, mille casibus subjecta*: aliqui casus provideri à prudentia humana & averti possunt, aliqui verò non, adeoque flecti & mutari nequeunt. Sic caveri potest casus iste, in quem sæpius inciderunt etiam victores, si milites relictis stationibus suis non-

dum plenè profligato hoste ad spolia & manubias sese contulerunt; id quod Samnitibus accidit, qui, cum omissâ pugnâ *impediti impedimentis Romanorum inhærerent*, à Cornelio Arvina, dissipati sunt, teste Livio: (a) Pariter ad Terovennam disjecto jam Maximiliani Equitatu, cum victoria ad partes Gallorum inclinaret, Ludovici autem XI. milites præproperè nimis impedimenta hostium involarent, mutatâ acie cæsi sunt Galli. Omitto aliqua nuperi belli nostri afferre exempla, utpote notissima. Cum autem cunctis malis à naturâ suâ data sint remedia, etiam casibus, qui in bello contingere possunt, talia suppetunt.

(a) decad. 1. l. 8.

Comin. lib. 9.

Casui

Casui jam allato obviam iri ab Experto belli Duce potest, si ante collata signa pœnam capitis constituet in eos, qui ante confectam pugnam ad prædandum abire ausi fuerint. Hoc observasse Cyrum apud Xenophontem *(b)* legimus; qui, cum Hircanii ad castra sua transiissent, unitis viribus contra Assyrios pugnaturi, ille milites suos & Hircanios socios, hac oratione allocutus est: *Inter alia, quod si accidat*, inquit, *id quo multis qui rerum potiuntur usu venit, ut avertamus Assyriorum fortunam, cavendum erit, ne ad prædam nos conferamus; nam qui hoc facit, non miles bonus est, sed calo, quem uti mancipium tractare cuivis licet.*

b) lib 4. de Pædia. Cyri.

c) 14. Annal. c. 36. Suetonius Paulinus apud (c) Tacitum cùm audiret Boudiceam Britannos ad rem benè egrendã gravi oratione excitasse, nec ille in tanto discrimine silere voluit, exhortationesque & preces miscuit; inter alia autem *prædæ immemores esse jubebat suos, parta victoria cuncta ipsis cessura*. Offert se alius casus, quem à prudentia humana corrigi posse in aprico est, qui est, mors summi Exercitus Ducis, hæc non raró pugnantium animos ita afflixit, ut cedere hosti ob illam visi sint. Sic interfecto Mindaro fugêre Lacedæmonii, & ab Atheniensibus victi sunt: occiso in pugna Teleutia, pedem referre cæperunt milites ejus, & Olyn-

lynthii *(d)* de Lacedæmoniis triumpharunt: C. Flaminius Consul Romanus, ad Thrasymenum lacum lanceâ transfixus, res suorum perdidit; *magna partis fuga inde primùm cœpit*, notanter refert Livius, *(e) & jam nec lacus, nec montes obstabant pavori.* Carthaginenses ad Saleram in Romanos pugnantes, interempto Hannone, statim inclinatâ acie recesserunt. Cum Sp. Furius Consul Romanus, *(f)* contra Æquos dimicando, vulnus aliquando accepisset, adeò ut à circumstantibus ægrè eripi posset, solo hoc vulnere militum animos turbavit, *& ferociores hostes Consulis infortunium fecit*, ait Livius: *(g)* Remedia itaq; contra hancrem

d) Xenophon. l. 1. hist. Gr.

e) Decad. 3. lib. 2.

f) Liv. decad. 1. lib. 9.

g) decad. 3. lib. 3.

proponuntur varia; optimũ autem omnium erit, si haud temerè caput Exercitus periculis certaminum sese offeret, aut non nisi optimorum militum coronâ cinctum, si fortè præsentia sua urgere pugnam necesse erit, advolabit. Hoc monet Xenophon: *(h) illud est prudentis Imperatoris*, inquit, *ut periculis nunquam se ultrò offerat, nisi cum satis exploratum habebit, se fore superiorem & aliquid hostibus detracturum.* Hoc fecit A. Posthumius apud Livium, *(i)* qui contra Latinos decertans, delectam militum manum præsidii causa circa se habebat: id quod cum neglexisset *Gastonius de Foix*, Gallus, iniquam sortem expertus est. Quod si autem

h) Xenoph. de Magist. Equit. Offic.

i) decad. 1. l. 2. decad. 1. lib. 3.

l) Guic. lib. 10. c. 189.

autem contingat, ut in rem præsentem venire Generalis cogatur, & conflictus eum absumat, circumstantium erit summo cum silentio ex acie corpus ejus extrahere, & mortem ejus exercitui omninò occultam reddere, quod fecit Pub. Volumnius, qui cum inter primores pugnam ciere & cadere tandem P. Valerium Consulem videret, hoc statim negotii suis dabat: *ut corpus ejus obtegerent, adeoq; impediendo*, inquit Livius, (*m*) *ne sensus hujus rei ad militem perveniret, priùs vincere Exercitũ fecit, quam se pugnare sine Duce sentiret.* Sic Q. Petilius Consul contra Ligures dimicans, cùm a fuga suos revocare vellet, & incautiùs ante si-

m) decad. 1. l. 3.

 gna

gna obversans cecidisset, aliqui suorū militum qui cadentem viderant, cum in eô victoriam verti scirent, corpus ejus occultavere, & magnâ postea clade Ligures affecerunt.(n) Sic Gustavi Adolphi Suecorum Regis ad Lüzam occubitus, sub principiis conflictus publicari severè prohibitus fuit, ne in perturbationes militum animi inciderent, in tempore posteà patescens, concitavit milites, & ne loco cederent, commovit: contrà, nescio cujus Centurionis, in eodem prælio, ad milites incautus sermo: *mortuus est Pappenheim, eheu! actum est de nobis*, milites quosdam ad fugam incitavit, & non parùm discriminis rebus

n) Liv. decad. 5. lib. 1.

Cæ-

Cæsaris attulit, quem errorem postea, quodque campum deseruisset, capite suo Pragæ luit. Casus, qui prævideri & cavendo averti nequeunt, cum varii sint & incerti, & ab insuperabili supremi Numinis vi definiti, certæ de iis dari nequeunt regulæ.

Quapropter omni vento, quod ajunt, navigare sciat Strenuus belli Dux, ut inter tot casus, & tot discrimina rerum, potior semper hosti sit. Hujusmodi artes & machinæ variæ hodie excogitatæ & agitatæ in bello fuerunt: sic aliqui in usu habuerunt, per noctem istam, quæ prælium antecedit, fictis concursibus inimicum ad arma ciere, & tum ille Exercitum suum in armis

armis habendo, fessum & de-
fatigatū reddit, suos interim
respirare & quiescere jubere
quod antiquis etiam illis pu-
gnatoribus Romanis non in-
cognitum fuit, & id fecisse T.
Quintium, cum in Volscos &
Æquos pugnaret, testatur Li-
vius: (o) cum enim in tentoriis
quietum militem manere
jussisset, Hercinorum cohor-
tem in stationem eduxit, cor-
nices tibicinesque in equos
impositos canere ante vallū
sollicitumque hostem ad lu-
cem tenere jussit, reliquum
noctis tranquilla omnia in ca-
stris suis fuêre, ut somni suis
copia esset, ubi illuxit, Roma-
nus integer, satiatusq; somno,
productus in aciem, fessum
stando & vigiliis Volscum
primo

(o) decad. 1. lib. 2.

primo impetu perculit. Scipio (p) etiam aliquando ante lucem viros equosque suos ,, pransos esse, equitesque frenatos stratosque ut tenerent ,, equos jubebat, dum ipse vix ,, satis certâ luce equitatum suum in stationes Punicas, fessas ,, & nullo cibo refectas, immisit. ,,

p) l. 8. decad. 3. lib. 8.

DISCURSUS IX.

QVANTUM IN CIENDA pugna situs loci, ad quem congrediendum est, valeat, & quam accuratè investigandus sit; quantum juvet Solis & venti beneficio frui nosse, & quæ sunt his similia, ostenditur.

Situm loci, ad quem signa cōferenda sunt, probè observare, ejus-

jusq; commodo & opportuno positu contra hostem uti nosse, omni tempore pro virtute virtutum maximâ habitum, viamque ad victoriam munire visum est. Exempla ex Livio & Plutarcho adducere, utpote quibus superius longiùs usi sumus, jam supersedeo: adduco atrocissimam illã, quæ An. M. DC.XXXIV. ad Nördtlingam successit pugnam, in qua ex utraque parte de commoditate situs diligenter actum, & de colle quodam leniter assurgente, quem Cæsariani tenebant, & Collegiati pro se quoque capere volebant, pertinaciter certatum fuit: nam cum situs prædicti collis talis erat, ut qui prior ibi pedem posuisset, ad eum

cum Dominium planitiei, in qua manus cõferendæ erant, delatum videretur, quamprimum Dux Vinariæ Collegiatorum caput, collis ſitum & opportunitatem conſpexit, omni niſu Cæſareos jam poſſeſſores factos, de ſede depellere contendebat. Cæſariani contrà, cum tantùm ſpei victoriæ ab hoſte in collis iſtius occupatione poni animadverterent, ejusdem commoda amittere nolebant, & pro retinendo loco, tanquam pro aris & focis pugnabant, quapropter, ut in eo conſiſterent, per totam noctem operam dabant, vallum in aliquibus locis jaciendo, & contra aditus hoſtium tormenta diſponendo, & ſelectiores totius

Exer-

Exercitus turmas ad custo
diam admovendo. Illucescen
te die, irruptionem in collem
incipiebat Vinariæ Dux, & o
misso hostili Exercitu, in a
quo collocato, omnem im
pressionē in locum istū facie
bat, quem cùm probè muni
verant Cæsarei rapere illis n
poterant, nec dubium est
quin si die præcedente, qu
lucum quendam colli adja
centem feliciter occuparun
Collegiati, statim in illum im
petum fecissent, qui tun
temporis malè admodum fi
matus erat, commoditate e
jus potiri, ex alto in Exerci
tum Cæsareum pro lubit
grassari potuissent, qui cum
pedem ad sustinendam irru
ptionem figere, aut laboran
tibu

tibus succurrere difficulter potuisset, ex solo istius collis beneficio & situ in suminum discrimen deductus fuisset. Duo illi Galliæ Mareschalli, Dominus *de Breze*, & *Sciatillon*, nacti aliquando opportunum quendam hostem invadendi locum, qui ex alto in campum inimicum irruptionem faciendi aditum præbebat, & hanc facultatem lædendi hostem commodè arripientes, ad oppidum Tirlemont facili ope Hispanos fuderunt. Sicquoque Wallensteinius ad Lützam, cum Rege Suecorum Gustavo, in æquum descensurus, cum prior commodiora campi fatalis loca cœpisset, impetum Exercitus Suecici non parum prohibuit,

hibuit & ambiguam primitùs palmam reddidit.

Quantùm igitur, cum ad manus veniendũ eſt, juvat loci opportunitas, tantùm etiã ſcientia collocandi Exercitũ, & inſtruendi ordines: radios Solis à tergo habere, qui officiant viſui Exercitus hoſtilis, pariter & ventum à tergo, qui paleas & pulverem in faciem hoſtium perferat, maximè ſi in arenoſo & ſterili ſolo acie decertandum eſt, omni tempore viam ad victoriam ſternere, experientia teſtata eſt. Hoc commodo uſus eſt contra Romanos Hannibal in prælio ad Cannas: Tillius in conflictu ad Lipſiam, qui cum ventum ex occaſu flantem animadverteret, ſecundùm il-

lum

lum aciem prudenter instruxit, Rex Suecorum autem Gustavus, nec ille commodo illius carere voluit, & cùm â tergo plenè nancisci ventum non posset, ita aciem flexit, ut tantummodo flatum ejus à latere haberet. Dux Vinariæ Bernhardus, Duci Feriæ in Alsatiâ aliquando occurrens, cum exorto vento videret, quidquid sabuli in campis jacebat, in se transferri, insuper etiam occupato jam saltu Hispanos majore ad pugnandum commodo uti, maluit se subtrahere, & occasionem manus conserendi, quam antea quęsiverat, amittere. Contrà verò Ferdinandus Arragoniæ Rex, cum Exercitu suo in campo ad solem prono & solu-

ſoluto ſtans, adverſariis ſuis radios ſolis à tergo habentibus, hac de cauſa ad Ebolim ſe debellatum vidit.

Superiorem ſe hoſti reddere vi tormentorum & fulmine ignitorum globorum, qui eminùs hoſtem laceſſunt, & ſi fortè copia eorum non eſt, noſcere modũ quamprimùm cominùs hoſtem feriendi, non extrema ſcientiæ militaris pars eſt, & ſæpius in depoſito nuper bello feneſtram ad victoriam pandit: Porrò ante concurſum hoſtilem de longinquo numeroſas oſtendere copias, quamvis fictas, ex calonibus & lixis cõſtantes dummodo ad pandenda latius cornua inſerviant, & pavorem ac trepidationem hoſti

hosti injiciant, promovere quoque victoriam compertum est: spargere rumores in milites, adesse nova auxilia sociorum, aut si fieri potest, subsidia ita adornare, ut ad ipsum discrimen quasi vocata veniant, utramq; quoque quod ajunt, paginã, ad rem feliciter gerendam facere solet. Suadet hoc Xenophon in eleganti discursu de Magistri Equitum officio: *Falsis insidiis,* inquit, *auxiliis falsis, falsisq; rumoribus terrere hostes licebit, tum autem maximè fiduciam sumunt hostes, quùm res adversariorum laborare audiunt, & impeditas esse, quum enim vel pueri in suis lusibus quæ possunt ad fallendum prætendant, ut cum paucos habeant, multos ha-*

bere videantur, & contrà, cum multos prætendant, paucos videantur habere; cur tandem viri, si in fraudibus & fallaciis studium ponunt, non possint ista eadem machinari? nam si victorias quæ bellis obtinentur, consideramus, plurimas & maximas arte & fallaciis partas esse reperiemus.

Brasidas apud Thucydidem paucis copiis Athenienses aggressus, in mediâ acie subornatis auxiliis firmatus, hoc remedio trepidationem injiciendo hosti, eum fugavit. Sic Franciscum I. cum Helvetiis ad Sanctum Donatum prope Mediolanum acie congredientem, & primo concursu non parum valore Helvetiorum turbatum, Alviani cum sele-

ſelectis quibusdam Exercitus Veneti copiis adventus, ſub ancipiti Marte ſtantem, firmavit, & cum Helvetii totius militiæ Venetæ nervum ad ſuppetias adeſſe falsò crederent, cedere campo coacti ſunt. Sic Fridlandiæ Dux, Anno M.DC.XXXIII. ex Sileſia in Saxoniam prorumpens, cùm Arnheimius relictâ Sileſiâ, ad ferendam Electoratui opem advolaret, & Comiti Turrenſi ac Tubaldio cum non exigua militum manu tutelam Sileſiæ committeret, illi ad Stenovium in Cæſarianos incidentes, cum Schaffgotſchio, Duce Bellico confligunt, ad quem cõflictum mutato itinere cùm adveniret Fridlandiæ Dux, ex inopina-

tis, ejus auxiliis circumventi utriq;, positis armis sese cum omnibus copiis suis Fridlando dedere coacti sunt. Quantùm periculi & terroris dederit Suecis, ad Lützam ferro cum Cæsarianis decernentibus, allata à Pappenheimio in medio conflictu auxilia, cruenta quæ illis obtigit victoria, planum fecit. Concludo itaque cum Quicciardino: E' grandissima (come ogn'uno sa) in tutte l'attioni humane la potestà della fortuna: maggiore nelle cose militari, che in qualcunque altra: ma inestimabile, immensa, infinita ne fatti d'arme: dove un commandamento mal inteso, dove una ordinatione male essequita, dove

lib. 2. Hist. Ital.

dove una temerità, una voce vana, in sino d' un minimo soldato, traporta spesso la vittoria à coloro, che gia parevano vinti: dove improvisamente nascono innumerabili accidenti, i quali è impossibile che siano antiveduti ò governati con consiglio del Capitano,

---

DISCURSUS X.

QVID SIT BELLVM INdirectum, quod vulgò diversionis bellum vocatur, & cujus efficacia sit, si prudenter geritur, ostenditur.

Alcibiades apud Thucydidem ad bellum contra Sicilienses excitaturus Athenienses suos, ut Egestanis à Siciliensibus oppres- *lib. 6. num. 15.*

oppressis sub specie ferendarum opum præstò essent, monuit: cum autem objici sibi posse putaret, quòd Egestani nunquam auxilio fuerint Atheniensibus, quare inconsultum fore, illorum causa temerè sese periculis exponere: *non eâ causâ socios eos ipsis factos esse*, dixit, *ut auxilia Atheniensibus mittant, sed ut hostibus suis, quos illic habent incumbentes, impedimento existant, ne in proprio statu infestent Athenienses*, adeoque per Egestanorum arma averti Sicilienses putavit, ut à turbandis rebus suis abstineant. Hoc genus belligerandi hodie bellum per indirectum hosti illatũ, seu, ut cum vulgo loquar, diversionis bellum, ab Italis

lib. 6.

la

la guerra diversiva vocatur: est autem hujusmodi bellum tale, quando ille qui hosti suo viribus inæqualis, non tamen inferior, intermedio quodam propugnationis utitur medio, & eum, qui statum suum aggressus est, in proprio statu adoritur, & ut relicto alieno, ad sua defendenda abeat, cogit, Quod enim illis cõtingit, qui, cum incendiis fumare vicinas ædes vident, operam equidem dant ad inhibendum ignem, quando verò propria tecta latiùs fuso incendio comprehendere ignem velle vident, statim ad sua adcurrunt, eaque aut ignibus subducunt, aut omni medela & solertia adhibita contra flammas defendunt: sic qui ad

bellum vicino inferendum properant, quamprimum hauriri bello, ceu incendio proprias terras suas animadvertunt, statim obliti alieni, ad tuenda propria recedunt. Exemplo sunt Bellovaci, apud Julium Cæsarē, qui cùm diu amicos ejus vexassent, tandem jussu Cæsaris à Divitiaco in propriis suis sedibus lacessiti, subitò missis alienis ad sua tecta tuenda recedere visi sunt. Hiero Rex Syracusanorum, cum graviter Hannibalem terris Romanorum incumbentem videret, hoc eis consilium dedit, ut infestis armis Africam intrarent, & ita prohiberent, ne Hannibal novas vires à Carthaginensibus recipere posset, adeoque

lib. 2. bello Gall.

Italiam

Italiam per diversionis bellum liberas ab Hannibale fortunas habituram, dexterrimè putabat.

Sunt autem variæ belli diversivi, ut barbarè loquar, species: primam jam retuli: restat de reliquis sermonem facere: altera igitur est, quando Princeps viribus inimico major, timens, ne se socius hostis sui, quo cum decertat, armis lacessat, eum ipsum armis petit, & ab instituto suo absterret: planè ad consilium Alcibiadis apud Thucydidem: *necesse est, ut aliis insidias struamus, aliis aliter in cervicibus hæreamus, quandoquidem nisi aliis nos imperemus, ne alii nobis imperent, metuendum est.* lib. 6. de bello Pelop.

Liv. Decad. 4. lib. 6. Sic cum timeret Antiochus, ne Philippus hostibus suis Romanis se adjungeret, suadebat Hannibal, ut Macedoniam populabundus ingrederetur, sic facilè ab auxiliis Romanis mittendis Philippum abstrahi posse, putabat.

Tertia species belli indirecti videtur esse ea, quando ille, qui, cum propriæ defensioni se non sufficere putat, alium invocat, ut in agrum hostis sui à quo lacessitur, incursiones faciat, adeoque à turbando statu suo hoc modo eum retrahere tentat. Hoc fecerunt Syracusani, qui à Lacedæmoniis petierunt, ut in Atheniensium terras impetũ facerent, & hoc modo, ne amplius eos vexarent, prohiberent.

Thucydides l. 7.

rent.

rent. Nostro ævo belligerantes per Germaniam Magnates hoc genere militiæ sæpissimè usi sunt. Omissis iis, quæ ex Thuano, aliisque probatis adduci possent Authoribus, unicum memorabile factæ diversionis exemplum profero, quod non ita pridem, anno sc. M.DC.XXXIV. contigit. Fridlandiæ Dux, Exercitus Cæsarei summus per Germaniam Præfectus, capto Francofurto ad Oderam, Landsbergâ, & alii Marchiæ Brandenburgensis locis, eò inclinare videbatur, ut ad mare Balticum victricia arma sua extendendo, Suecis auxilia per mare venientia prohibere posset, & si clade aliquando in meditullio Germaniæ

affecti, retrocedere, aut recurrere ad Oceani receptacula cogerentur, reditum ad suos intercludere posset, quo facto se Saxoniæ Electorem & Brandenburgicum facili operâ ad Cæsaris partes retracturum esse putabat. Hæ Fridlandi minæ, per res ejus supra vota fluentes auctæ, non mediocres terrores his duobus Electoribus denunciabant, & pericula etiã intendebant Suecis, qui in ambiguo stabant, addicerent ne laborantibus hisce Electorib⁹ auxilia sua, an deserendo illos, attenderent cõservationi eorũ, quæ in superiore parte Germaniæ paraverant, quæ absque decenti præsidio munita relinquenda essent, si ad propulsanda Saxo-

nis & Brandenburgici pericula, ea qua opus est potentia accurrere cogerentur, adeoque in manus Cæsaris iterum recasura videbantur: deserendo autem laborantes hosce duos Electores, verebantur ne à se discederent, & auctiores Cæsaris partes redderent. Quare in tam scrupuloso & difficili loco versantes Sueci, tandem ad faciendam hosti diversionem animum inducebant, & de invadenda Bavariâ consilium capiebant, quàm post Aldringeri in Alsatiam irruptionem omni præsidio vacuam videbant. Copiis igitur suis undique collectis, in Bavariam se superfundere concludunt, nō dubitantes, quin Ducatus Bavaricus impro-

visâ hac aggreſſione turbatus portam in Auſtriam irruendi ſit aperturus: aut ſi hoc falleret, hâc ratione ſe à Saxone & Brandenburgico molem belli in Bavariā translaturos eſſe, cōfidebant: Cum enim laboranti Saxoni & Brandenburgico opem ferre, neceſſitas & ratio ſtatus bellici Suecis imponeret, hoc autem cum præſenti periculo & graviſſimâ jacturâ conjunctū videbatur, ſi hoſtem in terris Electorum aggredi vellent, facto in Bavariam impetu, hoc intermedio modo, ab illorum cervicibus hoſtem depelli poſſe, judicabant, ſalvis manentibus iis, quæ in ſuperiori Germania cepiſſent, ſalvâ armorum ſuorum gloriâ,
ſalvô

ſalvô & integro etiam manente Exercitu. Dux Vinarienſis ad tentandam fortunam & faciendam diverſionem eligebatur: ad Danubiũ igitur cum ſatis numeroſo milite accedit, & poſt duodecim dierum oppugnationem ſubigit Ratisbonam, plus ultrà pergendo, Straubingam, & alia Bavariæ loca ſibi ſubjiciebat, & jam jam longius inſequi victoriam & in Auſtriã ipſam penetrare velle, præ ſe ferre videbatur. Succeſſit voto conſilium, Exercitus Fridlandiæ Ducis, à cædendis aliorum vinetis ad defendenda ſua revocabatur, jamq; per indirectum Fridlandiæ Ducis artes eludebantur. Aula enim Cæſaris, poſtquam proximũ arde-

ardere Ucalegonem vidit, suam jam rem agi prudentissimè animadvertit, & qui metus quondam erat Saxoni & Brandenburgico, ob Fridlandiæ Ducis arma, eundem ob Vinariensis progressum jam ipsa concipiebat; statim igitur relictis alienis ad propriam tutelam vocabatur Fridlandus: ille, malè ferens, à rebus benè geri cœptis, tam subitò semet abstrahi, & provincias Cæsari vicinas ad sustinendum in longius hostis impetum suffecturas autumans, multas interponit moras; tandem per severissima Imperatoris mandata ad ferendas opes vocatus, Ratisbonam properabat, à qua cum ad viginti milliaria abesset,

ſet, deditam Vinarienſi urbem eſſe, intelligebat. Hæc ſola autem urbis Ratisbonenſis jactura, Fridlando in medio victoriarum ſuarum curſu, manũ injiciebat, Aldringerum etiam ex Alſatia in Bavariam retrahebat, adeoq; inſigni hoc diverſionis remedio res ſuas augebant Sueci, & ut optaverant à laborantibus amicis ſuis belli molem in alios derivabant.

Videntur igitur hujusmodi belligerandi artes ſimiles Chirurgorum operibus, qui corpori vulnere affecto, aliquando malagma quoddam, quod digerit, imponunt, idq; ipſum non ea parte ubi vulnus acceptum eſt, ſed ex adverſo ſuperimponunt, eô tamen

men ſine, ut ex vulnere ſaucii reficiant, & hoc remedio perſanant ſæpe & reprimunt vulnera: ſic quibus cum hoſte negotium eſt, aliquando ſævire eum & populabundum graſſari per terras ſuas ſinunt, ſubitò autem ex adverſo remedium ſibi quærunt, & hoſtilibus bonis maximè caris armatam manum inferunt, quæ ſi diripi inimicus videt, non poteſt non ille neglectis alienis ad defenſionem ſuorum abire. Sed hæc hactenus de bello diverſivo.

DIS-

DISCURSUS XI.

QVID INDVCENDO ET deducendo agmine, Strenuo Belli Duci observandum sit, ex Xenophonte potißimùm ostenditur.

QVàm plena res periculi sit, in bello, per terras minùs tutas, aut hostiles agmen ducere, aut per flumen, aut aquas pergere, aut loca quædã angusta & sylvis obsita superare, aut penes urbẽ progredi, quam numeroso milite hostis tenet, hactenus depositi belli Teutonici calamitates satis abundè testatæ sunt. Quapropter solertiâ opus & circumspectione maximâ in ducendo agmine; sciat itaque oportet stre-

strenuus Belli Dux, quid in hujusmodi scrupuloso & difficili rerum articulo, commodè agendum sit.

Per quascunq; autem terras inducet exercitum suum, legionem sub coactis signis in arctum deducet, nec concedet, ut vagabundi passim signa sequantur, maximè si in propinquo hostem habebit: sic enim ad quamcunque occasionem, vel ictu agmen explicabit, & ad pugnandum eriget quandocunque res ita deposcet. Hoc fecisse L. Quintium Dictatorem contra Æquos decertantem, testis est Livius: *qui ita agmen suum composuisse*, ab Historico celebratur, *ut tam itineri, quàm prælio, si res ita tulisset,*

Decad. 1. lib. 3.

aptum

aptum fuerit : Contrà verò Rex Juba, cùm nullo ordine, & sine timore iter ad liberandam obsidione Uticam fecisset, à Curione facili operâ vi præmissorum aliquot Equitum profligatus, & auxilia ejus, urbi destinata, impedita & perturbata fuerunt, teste Julio Cæsare. *lib. 2. Bell. Civil.*

Si per terras amicorum eundũ est, cavebit ne damno afficiantur incolæ; si per hostiles agros, ab insidiis colonorum ut sui tuti sint, providebit; id quod fiet, haut duriter tractando incolas, sic animos eorum sibi devinciet.

Cum autem impedimentorum quæ ad expeditionem requiruntur, magnus sæpè sit numerus, nec carere iis exer-

citus

citus possit, quid etiam quoad illa facto opus sit, probè sciendum est. In extremo casu, & ubi copia secum ulteriùs vehendi denegata est, relinqui & exuri illa non infrequens: docemur hoc ex Xenophonte, cum enim post obitum Cyri, captis plerisque Ducibus, Exercitus qui supererat magnis difficultatibus laboraret, ne diutiùs in solo hostili commorando, omninò ipsi reditus in Patriã occluderetur, Cherisophi monito in tanto discrimine sarcinas & vasa sua in medium conjecta, igne delevit. Notatu digna ejus ad milites oratio, prout à Xenophonte nobis tradita: *De eo jam dicendum est*, inquit, *quo pacto quam tutissimè profecturi*

Expedit. Cyri minor lib. 3.

fecturi simus, ac si prælio decertandum est, quàm optimè prælium ineamus: itaq; primùm plaustra nobis exurenda censeo, ne vehicula impedimentorũ nobis imperent, sed quocunq; visum erit Exercitui conducere, pergamus: Deinde etiam tabernacula concremanda esse: Nam eorum vectura negotium nobis facessit, neq; quidquam vel ad pugnam, vel ad commeatum comparandum adjumenti adferunt. Præterea vasorum reliquorũ, quæ supervacanea sunt, onere nosmet liberabimus, exceptis iis, quæ vel ad bellicos usus, vel cibi vel potus habemus, ut quam plurimi nostrûm armati sint, pauci admodum impedimenta vehant. Nostis enim fortunas aliorum transire ad

illo-

illorum potestatem qui victoriam consequuntur: Imò si vicerimus existimare debemus hostes ipsos impedimenta nostra vecturos.

Plutarch. in Alex. De Alexandro etiam refert Plutarchus, quod transiturus in Indiam, cum præ multitudine spoliorum gravem jam tardumque videret Exercitum, instructis summo mane curribus, primùm suis sociorumq; impedimentis ignem injecit, idemque deinde reliquos facere Macedonas jussit: Verùm non nisi ultimo in casu talia peragi decet, *& hujusmodi consilium, etsi in tali casu reprehendendum non est*, inquit notanter Julius Cæsar, *lib. 5. de bell. Gall.* *non tamen incommodè suscipiendum*, prout à Titurio Sabino

no factum esse memorat; cum ab Ambiorige inter proficiscendū infestaretur, *nam militibus spem minuit*, ait allegatus Cæsar, *& hostes ad pugnandum alacriores efficit*, præterea in hujusmodi casu relinquendorū impedimentorum, *plerumq; accidit, ut vulgò milites à signis discedant, & quæ quisq; eorum charissima habet, ab impedimentis petere & arripere properat*, quod non rarò turbas excitat, ordines convellit & magnæ stragi ansam dare pótest. Quare extra casum & præsens quoddam periculum omni diligentiâ curanda sunt militum vasa & impedimenta, & olim inter medios ordines à Cyro introire jussa sunt; ille enim

Bellatorum maximus, cum propter ipsum Babyloniorũ murum deducere exercitum suum velle animadverteret Gabryam, cui agendi agminis curam concrediderat, vocato eo, quare hoc faceret, quæsivit; ast cum causam instituti sui redderet minùs commodam, *occultatis admodum impedimentis Exercitum pergere debere, è re militari esse*, circumstantes docuit: *atq; hæc omnia tecta ab armatis militibus oportere, ne usquam impedimenta ab armis nuda hostibus appareant*. Porrò igitur in hujusmodi militum profectionibus, tam die, quàm nocte, diligentiâ opus est & curâ: *in diurnis itineribus pro locorum ratione*, monente iterum Xenophon-

Xenoph. Pædia Cyri l.5.

nophonte, *vel armatura gravis, vel equitatus anteire copias debet: noctu verò Græcorum instituto, pars Exercitus tardissima præcedit: nam hoc pacto copiæ minimè à se invicem divelluntur, minimeq́ fieri potest, ut clam alii à se discedant, quod si enim copiæ dissipentur, fit nonnunquam, ut se mutuò adoriantur, ac per ignorantiam & errorem ipsæmet se lædant ac lædantur*: Prout contigit apud Thucydidem Atheniensibus, cum à Syracusanis sese divellerent, & noctu iter facerent, ibi, tumultu inter eos subito & trepidatione orta, Niciæ agmen, quod præcesserat, compositum mansit, viæque non parum præcepit, Demosthenis verò milites dimidia

Expedit. Cyr. min. lib. 7.

De bell. Pelop. l. 17

plus parte à reliquo abrupti agmine, temerè sine ordine vagabantur: quare si noctu cum agmine procedendum est, cum illa communiter nemini amica sit, & impediat, ut visu provideatur necessariis rebus, silentio opus est, ut ad voces Imperantium dirigantur ordines, præmittendi pedites, qui vias investigent, & scrutentur ne subsint insidiæ: hac in re iterum singularis industria Cyri à Xenophonte
Pad. Cyr. lib. 6. commendatur: *quod ille ante copias universas noctu pedites quosdam expeditos, eosq́; non multos præmiserit, ut captatis rumoribus subauscultando, ac si qua ratione alia quippiam sentire possent, Chrysantæ, loco Tenenti suo statim, significarent,*

reni, quid gerendæ rei occasio suggereret: Hoc modo Cyrus Exercitum ducebat, pergit Xenophon, *neq; tamen ipse uno tantum in loco se continebat, sed alias alibi obequitando milites inspiciebat, ac si cuius indigerent, id procurabat.* Pædia Cyri. l. 6.

Quid autem faciendum sit Belli Duci, qui, dum iter suum insistit, per nuncios de adventu hostis certior factus, veretur ne hostem sibi obvium habeat, hoc iterum à Cyro edocemur. Ille cum contra Regem Assyriorum in pugnam ire vellet, priusquam inter pergendum in hostium conspectum venit, ter Exercitum quiescendo recreabat. Quod si autem ex itinere hostem oppugnare incom- Xenoph. Pæd. Cyr. lib. 7. sub init.

dum esse ducet, ab hoste autẽ inter proficiscendũ lacessitur, non equidẽ declinando in aliã se dimittat viam, q́ timoris indicium esset, sed signa consistere jubeat, & teneat agmẽ, exemplo Clearchi apud Xenophontem, *qui ex Persia, rediens, tametsi in hostem non duceret, cum tamen iter faciendo, forte fortuna in eum incideret, non de via recedebat, ut caveret, ne fugere videretur, sed recto ducens tramite, Sole jam occidente, cum iis qui erant in fronte, proximis in vicis castra locabat.* Quod si autem contingat, ut Belli Dux, deducendo exercitum ab hoste infestetur, in loco ubi difficilem pugnandi copiã habet, quid in tali casu agendum sit, meritò

de Exped. Cyr. lib. 2.

ritò inquiritur. Docet hoc iterum ex veteribus Bellatoribus Brasidas apud Thucydidem: qui, cum ex terra hostili discedere cogeretur, & Illyrios ac Arrhibæum graviter suis imminentes haberet, *gravi armatura instructos ante agmen agebat, levi armatura cinctos in medium accipiebat, juniores qui ad impetus hostium excurrerent, variè disponebat, ipse verò cum trecentis delectis ultimus discedere volebat, ut impetũ primi agminis hostium sustineret, cum igitur paulatim movisset exercitum, barbari magno cum tumultu ipsum insequuntur: ut verò quacunque impressionem dabant, quidam procurrentes obviam tendebant, & Brasidas cum delectis incur-* lib. 4. cap. 55.

rentes excipiebat; quoties igitur hostes incurrebant, restitit Brasidas, ubi quiescebant, porrò ire perrexit. Juvat etiam in tali casu præmissis optimis quibusdam militantium turmis, hostis Exercitum detinere, donec ex angustiis viarum erumpat acies: sic Samnites ad adventum A. Cornelii Arvinæ, solis quibusdam Equitum turmis præmissis, traxerunt Exercitum Romanorum, *donec pedes equitem assequeretur*, postea totis copiis congredi cum hoste non detrectarunt.

Liv. de. cad. 1. l. 8.

Julius Cæsar Litavicum & Æduos castigaturus, cum audiret, eos contra se tendere, immisso equitatu, iter eorum moratus est, atque tam diu impe-

de bello Gallico lib. 7.

impediit, donec cum integro Exercitu sequeretur: Idem Julius Cæsar cum à Rege Juba & Scipione inter proficiscendum aliquando graviter peteretur, hoc consilio usus est: subindè novas legiones ad extremum *agmen revocabat, & hostium vim, placidè leniterq́; procedens, per legionarium militem sustinebat, & ita modo procedendo, modo resistendo, iter suum quod instituerat, feliciter perficiebat.* *de bello Afric. l.*

Omninò autem, iterum, præeunte nobis Xenophonte, Bellici Ducis erit, ut tàm per amicorum, quàm inimicorum loca & regiones Exercitum ducendo, genium & naturam earum probè perspectam habeat, sin autem

ipse terrarum illarum imperitus fuerit, alios saltem locorum singulorum peritissimos adhibeat oportet: *nam qui insidias hostibus struit*, inquit sæpè allegatus Xenophon, *si gnarus viarum est, multis partibus vincit ignarũ; videndum itaq; antequàm bellum ingruat, ut speculatores paratos & exercitatos habeat, tum ex Civitatibus, quæ utrisq; sint amicæ, tum ex Mercatoribus; semper enim civitates eos, qui aliquid ad se important, tanquã sibi benevolos excipiunt humaniter: Falsi item transfugæ interdum magnas præbent utilitates; non eo usq; fidendum tamen exploratoribus, ut vigiliæ & præsidia negligantur, sed semper ita nos paratos esse oportebit,*

de Magistro Equit. off.

tebit, ac si hostes venturos esse nuntiatum esset: nam tametsi sunt fideles exploratores, tamen in tempore renuntiare perdifficile est, quum præsertim multa soleant in bellis impedimenta intervenire. Viarum igitur Ductoribus maximè opus erit, iisque locorum gnaris & fidelibus in agendo agmine. Hujusmodi Ductoribus usus est Hannibal, cum per difficiliora Alpium loca ipsi transeundum esset, hodieque in deposito nuper Teutonico bello maximus eorum sæpè fuit usus.

DISCURSUS XII.

QVID CIRCA LOCORUM difficultates, maximè verò ad trajectus fluminum, agendum sit Belli Duci, ostenditur.

De ipsis locorum difficultatibus, in quas in faciendo itinere incidere Exercitus potest, jam sermonem instituemus: ubi primùm occurrunt angusta & silvestria loca, quæ præcipuè impedimento agmini esse solent, si per illa agi debet, maximè verò si silvæ illæ fuerint densæ, & profundæ, & diffusæ, equitatum enim in procedendo retardant, & contra incursus inimicorum ineptum reddunt. Sic Hannibal cum ad Thra-

Thrasymenum lacum ita circum sedisset Romanum Exercitum, ut à lateribus montes, ac lacus à fronte, & à tergo acies sua hostem clauderet, Flaminium Consulem inexploratò in locum istum difficilem incedentem, fœda strage affecit. Hoc ipsum Anno hujus seculi XXIII. expertus est Christianus Halberstadensis, qui cum copiis suis Visurgim transgressus, insequente eum Tillio, prope Statloam, in angustum & silvosum pervenit locum, quem ericetum Duvendicam vocant, cùm primo agmine vix emensus saltum esset, extremum ejus agmen à Tillio invaditur, occultatis vicinis in arbustis & paludibus militibus quibus-

Liv. decad. 3. l. 2.

dam, qui ingredientes perirent, commisso certamine, undique circumfusæ Halberstadensis cohortes sternuntur, & numerosus ejus Exercitus difficultate loci impeditus, à quinque millibus hostium in fugam agitur, Christianus ipse vix cum expeditis quibusdam turmis elabitur, Brevordamque assequitur, amissis machinis, impedimentis, commeatu, longeq; maximâ copiarum suarum parte, è quibus DC. cæsi, reliquum Exercitus dissipatum, & multi illustres capti sunt,

Tantum damni dabat Christiano difficilis ille & asper ad Statloam locus, quem incautus & malè providus transiverat.

Inter

Inter saxa & rupes & loca profunda si pergere miles cogitur, non parum etiam periculi indè habet; ordines enim in arctum cogendi, quo facto ad pugnam ineptus redditur miles, & itus sæpè ac reditus ab exigua hostium manu occludi aut intutus reddi potest.

Quare meritò à Livio ridentur Ætoli, qui, cum à M. Attilio bello oppressi essent, Coracem montem insidere neglexerunt, cujus claustra si occlusissent, Romanis transitum facili operâ prohibuissent: non ita autem ad Furcas Caudinas cum pariter in locum iniquum deduceretur Exercitus Romanus affulsit ei fortuna, utpote quem tum Sam-

Liv. decad. 4. lib. 6.

decad. 1. lib. 9.

Samnites sub jugum miserant.

Præaltæ fluminum voragines, aut profundæ aquæ, si superandæ Exercitui, prohibente ex altera parte hoste trajectum, res sanè periculi plena, non infrequens tamen in moderno bello fuit. Julius Cæsar veterum Bellatorum maximus, in casu ubi flumen hosti suo aliquando transeundum erat, hoc astu eum aggressus est: per exploratores certior factus, tres jam Helvetiorum copias Ararim traduxisse, quartam verò citra flumen Ararim reliquam esse, de tertia vigilia cum tribus legionibus è castris profectus, ad eam hostium partẽ pervenit, quæ nondũ flumen transgressa

Bell. Gall. lib. 1.

gressa erat, in eam impeditam & inopinantem irruit, & facili operâ concidit. Sic Marcellus, quid transitus fluminis vitii difficultatisque haberet, cognovit, cum ad Bætim legiones traduceret, & reducerct, amissis compluribus novissimis suorum, quos in fluminis ripa hostis offendit: Hannibal cum per flumen Tagum Hispanos se insequi videret, quos ad transeundũ flumen antea de industria allexerat, priusquam omninò flumen trajecissent aggredi ratus, facili opera dissipavit. Eodem modo Timoleon apud eundem Plutarchũ, cum videret partem Exercitus hostilis per Crimosum fluvium transire, partem autem Exercitus

A. Hirtius bello Alex.

Plutarch. in Hannibal.

citus transitum adhuc moliri non cunctandum ratus, cum Equitatu suo in Carthaginenses invehebat, aciemq; eorum nondum satis compositam, sine magno suorum periculo turbabat. Quare mirantur Historici, quod, cum tanti discriminis res sit, in conspectu aut vicinio hostium, flumen trajicere, Gallo non se opposuerint Veneti, cum flumen Addam transiret, nec Gastoni de Foix confœderati Itali, cum per Roncum militem traduceret.

Cæsar has difficultates optimè callens, providus & circumspectus valde in trajiciendis fluminibus erat, eapropter recusabat navibus, quarum magnam copiam sibi pollice-

ban-

bantur Ubii, Exercitum suũ per Rhenum transportare, *quod illis transire non satis tutum arbitraretur, adeoq; haud aliter, quàm per pontem, quamvis ejus faciendi summa difficultas proponeretur, propter latitudinem, rapiditatem, altitudinemq; fluminis, traducere volebat*: ut ipse de se testatur, *lib. 4.* in commentario de bello Gallico.

Hoc igitur strenui Belli Ducis esse putant, quando cum exercitu ad flumen perventum est, ante omnia inquirere, an nonnullis in locis vado transiri possit, & si difficilior talis transitus habebitur, quot pontes teneat flumen, & quibus fortalitiis illi muniti sint, investigabit, viden-

videndum etiam num copia potiundi alicujus pontis, per quem deduci exercitus possit habenda: si pontis beneficio, quod plerunque accidere solet, transire flumen exercitui hostili negabitur, tum demũ de imponẽdis fluvio pontib⁹, quorum hodie ars militaris varias species exhibuit, cogitabit: maximè autem disquirendum, ubi commodè injici fluvio pons possit, ut gnaviter & sine impedimento urgeri opus possit, & si confectus fuerit, qua ratione traducendus sit Exercitus perpendendum, & quomodo agendum, ut ex altera parte ripæ, miles præmissus consistere possit, donec residuæ copiæ illum sequantur.

Magi

Magister hac in re ille Bellatorum veterum Princeps, Julius Cæsar, jam antè à nobis laudatus, ille in conspectu Vercingentoricis flumen Elaver transire difficultatis fore autumans, *alio atq; alio in loco tentare transitum ejus simulavit, intereà relictis in occulto duabus legionibus, è regione unius eorum pontium, quos Vercingetorix rescindendos curaverat, pontem illum reficere cœpit, & celeriter effecto opere, cum duabus istis legionibus transivit, postea reliquas copias revocando pariter & eas traduxit.* 6, 7 de bell. Gall.

Silentio haut prætereundũ Tillii hac in re studium, inq; flumine Albi superande nostro ævo laudabile institutũ: ille

Ille Anno hujus seculi XXVII. ad Albim diu hærens, ab hostibus trajectu prohibitus, tandem sub extremum Julii, explorata excubitorum ad Albim socordia, & paucitate, dum Rex Daniæ Rendesburgi comitia habet, antelucanis horis manipulum militum rate quàm occultissimè transportat, dum nemo se moveret, addit alterum agmen, eo excitati vigiles, sed conspecto jam priorum transitu pavidi, arripiunt fugam, terrorisque implent Rentzenburgum, cuius in vicinia prætorianæ aliquot cohortes erant, & ita Tillio abundè spatium traducendi universas legiones relinquebant.

Adducenda etiam Gustavi

vi Adolphi, Suecorum Regis, in jungendo ponte Lyco, induſtria & conatus; cum enim in Bavariam irrumpere ſecum conſtituiſſet, Lycum autem, cujus ripam inſederant & diligenter cuſtodiverant Cæſariani impedimento ſibi eſſe videns, tandem in locum quendam incidit, ubi ob ripæ curvitatem, rapidi admodum fluvii impetus paululũ coercebatur, ſimulando autem ad exemplum Julii Cæſaris, ſe alibi trajecturum, impigrè ibi pontem ſtruxit, intereà ſilvam ex adverſo poſitam frequenti grandium tormentorum fulmine pulſabat, quam Cæſariani ac Bavari ſuo commodo jam præoccupaverant,
illi

illi hâc tormentariâ verberatione exterriti, quam augebat arborum tanquam cœlo tactarum horribilis strages, & jam pontem transire Regios videntes, excedere arbustis fugamque arripere destinabant, Rege posteà Bavariam invadente. Aliam egregiam in trajiciendo flumine artem, quâ usus est cum ad Rhodanum venisset Hannibal, exactè nobis describit Polybius, quàm hîc ad finem discursus nostri recensere fortè operæ
Lib. 3. hist. pretium erit: *Cum ad ulteriorem ripam fluminis Rhodani maximum Barbarorum numerum confluxisse vidisset Hannibal, ut suos à transitu fluvii arcerent, intelligens autem se neque vi trajicere flumen posse, hostibus*

bus ex adverso omnem ripam obtinentibus, nec tutò ibi consistere, ne undiq; à Barbaris circumveniretur, prima tertiæ noctis vigilia, Hannonem Bomilcaris Regis filium, cum parte copiarum mittit, his Duces itineris nonnullos ex incolis loci tradit, qui per ripam Rhodani adverso flumine ad ducenta stadia profecti, supra parvæ insulæ circumfusum amnem constiterunt: nam quia illic dividebatur aqua, non immeritò minus altus esse alveus existimabatur. Cæsis igitur è vestigio arboribus, rates fabricatæ, quæ ad virorum cæterarumq; rerum transfretationem sufficerent. Ita impediente nemine, tuti Rhodanum trajecerunt: Idipsum etiam Hannibal cum

cæteris copiis facere maturabat: sed eum angebat consilium trajiciendorum Elephantorum, qui numero septem & triginta erant: igitur in sequenti nocte qui fluvium transierant, cùm primùm lucescere aurora cœpit, per ripam fluminis profecti adversus Barbaros, quos convenisse ad eum locum diximus, contendunt Hannibal autem paratas habens copias omnes, jubet, ut ad trajiciendum se præparent, lembos equitibus impleant, paratis, instructisq; ad bellum, ut si ita res ferret, extemplò egressi, usui forent: Lintres verò expediti occupent, peditesq; ut majori tranquillitate fluminis tutius traducerentur, undarumq; impetum firmius sustinerent, superiori parte fluminis

nis ad dextram lembos ponit, quo vehementiorem illum ac præcitem aquæ fluxum exciperet. Equos à puppibus nantes, lôris trahi jubet, tres & quatuor simul duobus viris ad utrumque latus puppis sedentibus. Quo factum est, ut major pars equorum in prima transfretatione traduceretur. Hæc autem conspicati Barbari, ingenti tumultu relictis castris, passim temerèque ad ripam concurrunt, veluti nullo negotio transitum hostibus prohibituri. Hannibal aliquandiu commoratus, ubi appropinquare suos ex prodito fumo, uti convenerat, intellexit, dat simul omnibus signum ad trajiciendum. Quo viso repentè Carthaginenses ingenti clamore facto trajicere amnem,

atq; impetum fluminis omi conatu perrumpere nituntur; certantq; inter sese, quirimus ad ulteriorem ripam perveniat. Itaq; cum jam utraq; ipa à Carthaginensibus tenentur, omnesq; cum ingenti vociferatione trajicerent, Galli in anum arcere hostem nitebantur: Hæc copiosè de insigni i transeundo Rhodano Hnnibalis arte & industria, Pcybius.

DISCURSU XIII.

QVID BELLI. IVCI IN locandis castris, & quando ad locum quendam consistere cogitur, observandum sit ostenditur.

MEdium um Duce quodã Bellico comparando, multis modis

dis Medicum & Ducem Exercitu inter se convenire putamus. Sicut enim Medicus acie ingenii præ cæteris præstet oportet, si feliciter medicinam exercere vult, & longissimo studio opus habet, ut artem medendi addiscat, experientiam etiam addat oportet, circa multorum morborum genera, & famam sibi comparet, ob prosperos adhibitorum remediorum successus; ita quoque Belli Dux ingenio ad arma nato præditus sit oportet, edoctus omnes militiæ artes, & perfunctus longâ militiâ, manu insuper strenuus, & ob res feliciter gestas illustris, quem fortuna etiam rarò deserere visa est: sic tandem Excellentissimi Du-

cis opinionem de se excitabit.

Inter plurimas autem militiæ artes, quas hactenus recensuimus, quarumve minimè rudis sit Belli Dux oportet, & hanc meritò numeramus: nôsse in faciendis & movendis castris commodum semper locum capere; nam ex solerti eorum collocatione salus atq; interitus totius Exercitus aliquando dependere solet. Sic teste Guicciardino, *lib.10.* ob Ducum militarium ignorantiam in deligendo stativis idoneo loco, Exercitum Pontificis & Hispaniæ Regis castra sua magno suo cum malo retrò movere coegit Alphonsus Estensis, Gallicarum copiarum per Italiam Ductor: & Lautrechus alius rei

rei bellicæ Præfectus Gallicus, eandem ob causam Cæsaris & Pontificis copias ad Rebeccam, cùm inconsultè ibi castra posuissent, oppressisset, nisi tarditate suâ occasionem elabi passus fuisset, teste iterum Guicciardino: idem Lautrechus postea, cùm ad urbem Neapolim castrensem ac militarem in stativis faciendis rationem neglexisset, Exercitum Gallicum consumpsit, & propriam vitam amisit. lib. 14. Guicc. lib. 16.

Quare si ad hujusmodi locum pervenit Summus Belli Præfectus, ad quem ratio militiæ eum confidere cogit, ante omnia ad Cambysis monitum curet, *ne initio Exercitus ægrotet*: quânam autem ra-

tione hoc præstare Dux possit, meritò quis cum Cyro quæret? Respondet pro nobis apud Xenophontē Cambyses: nimirum *si quo loco diutius es futurus, non negliges, ut castra in salubri loces*: providebit igitur Belli Dux, ut castra locentur ad ea loca, ubi dulces & salubres aquæ abundabunt, & ubi nullum periculum ab inundationibus aut alluvie fluminum erit, si enim miles in agris humidis atque stagnantibus consistere cogitur, vim & gravitatem morborum sentiet: maximè autem omnium danda opera, ibi pedem figere, ubi arctiorem annonam facere hostis non possit, hâc enim si fatigabitur Exercitus, pejus perit,

lib. 1. Pædia Cyr.

rit, quàm si ferro intereat. Laudat in hoc genere singularem Cyri industriam & prudentiam Xenophon, *quod eo semper in loco metari castra solitus sit, quem putabat & saluberrimũ esse, & propter ea, quæ advehenda forent, accessu facillimũ, & quæcunq; munitionis egebant, sic curabat, ut semper in tuto manerent. Præterea interrogatis iis, quibus regionem maximè notam arbitrabatur, è quibus locis plurimum emolumenti Exercitus capere posset, semper ad quærendum commeatum educebat, partim ut res Exercitui necessarias maxima copia pararet, partim ut rectius valerent, & robusti essent, itineribus exerciti, partim ut in subvectionibus ordinum ser-* *Lib. 6 de Pæd. Cyr.*

vandorum recordarentur: His rebus Cyri occupata erat opera.

Quod ſi autem contingat, ut Exercitus quidam abundet equis, de pabulatione maximè ſollicitus ſit oportet Dux Bellicꝰ, quod ſi enim pabulatum frumentatumq; longius proficiſcendum eſt, mille inſidiis exponet Exercitum.

lib. 3. bell. Civil. Sic Cæſar ad Dyrrhachium Pompejum multitudine equitum valere animadvertens, ut pabulatione eum prohiberet, & Equitatum ejus ad rem gerendam inutilem efficeret, hoc conſilium iniit, & Pompejum circumvallare cõſtituit, verùm deludebatur ab eo; Cæſaris enim copias quàm maximè potuit, diſtinuit.

Com-

Communire autem & circumvallare ſtativa diligentiſſimè decet, ut ſint quaſi clauſi quidam portus, è quibus emitti in hoſtes pugnatores poſſint, ut habeant receptaculum, quo ſe conferant, ſi fortè ſiniſtro marte concurrerunt, aut ſi ſecundo, habeant locũ, ubi tutò quieſcant.

Optimè Livius quantùm in præſidio caſtrorum ſitum ſit, oſtendit, quando Conſulis Romani orationem, ad Senatum bellicum habitam, recitat; *Majores veſtri*, inquit Paulus Æmilius, *caſtra munita portum ad omnes caſus Exercitus ducebant eſſe, undè ad pugnam exirent, quo jactati tempeſtate pugnæ receptum haberent. Ideò cum munimentis ea* Decad. 5. lib. 4.

sepissent, præsidio quoq; valido firmabant, quod qui castris exutus erat, etiamsi pugnando acie vicisset, pro victo haberetur. Castra sunt victori receptaculum, victo perfugium: Quam multi Exercitus, quibus minùs prospera pugnæ fortuna fuit, intra vallum compulsi, tempore suo, interdum momento post eruptione facta victorem hostem pepulerunt? Patria altera est militaris hæc sedes, vallumq; pro mœnibus, & tentoriũ suum cuiq; militi domus ac penates sunt.

Quare meritò reprehenduntur à Polybio Messeni, quod Philippi copiis se conjuncturi, stultè ac negligenter castra in loco incommodo posuerint, ubi nec fossa

Histor. lib. 5.

nec

nec vallo cincti erant, & freti benevolentiâ incolarum temerè se juxta mœnia illorum collocaverint, quamobrem facili opera à Lycurgo equis & impedimentis exuti fuerunt. Eandem etiam ob causam reprehendit Livius tribunos plebis, *quod non loco castris ante capto, non præmunito vallo, contra Gallos in aciem descendere ausi sint.* Decad. 1. lib. 5.

Quæ autem forma castrorum esse debeat, jam recensere paginæ angustia prohibet: hodiè ars militaris varias formas nobis exhibuit, quas alii alio in loco retulerunt. Communiter autem nec ampla, nec angusta nimis esse volunt, difficulter enim latiùs diffusa custodiuntur, angusta

si sunt, defensioni valdè obstant, & prohibent in conflictu explicare ordines, adeoque secundum numerum militum composita & suis partibus descripta ut sint, oportet, & ita disposita, ut sciant gregarii ad quem locum facto tumultu sese recipere debeant. Si numerus militantium fortè extenuatur, restringi etiam castra debere putant, si adventu novarum copiarum augetur, extendenda esse dicunt: nisi decipere in eo quis hostem velit, ne sentiat novis copiis Exercitum ampliorem & fortiorem factum, quod fecisse M. Livium Salinatorem Livius testatur:
Decad. 3. lib. 7.
" cùm enim Claudius Nero,
" subito M. Livii Salinatoris copiis

piis sese junxisset, Asdrubal „
per quædam signa auctas esse „
hostium vires suspicabatur, „
interea tamẽ dubitans, quos- „
dam speculari jubet, an ali- „
quâ ex parte diducta essent „
Romana castra, cum illi retu- „
lissent, castra nihil aucta esse, „
bina esse, sicut ante adventum „
Consulis, de quo suspicio e- „
rat, fuerant, una M. Livii, al- „
tera L. Porcii, neutris quic- „
quam quo latiùs tenderentur „
ad munimenta adjectum, de- „
ceptus hoc modo Asdrubal „
ab initio erat, ast paulò post, „
cum, quod semel in prætoriis „
castris signum cecinit, bis in „
Consularibus cecinisse exau- „
divisset, hac re commoveba- „
tur credere, duos Consules ad- „
esse, statimque signa referri „
&

& retrocedere militem jussit.

Sub variis depositi nuper belli Teutonici casibus sæpè ex locatione castrorum & interceptione commodorum locorum victoriam sibi acquisivisse quosdam, & superiores se præbuisse hosti, experti sumus.

Anno hujus seculi XXIX. cum Batavi sæpius iis ipsis insidiis intercludere Hispanos, quas ipsi illis opponere conabantur, molirentur, ex utraque parte diligenter de stativis & promovendis in opportunos agros castris actum fuit, adeoque qui prior commodum locum insederat, semper superiorem se alteri redditurum sperabat: Hi ipsi cum

cum observarent, peti insidiis locum quendam ultra Rheni flumina positum, Rets dictum, subitò de obtinenda ejus loci possessione, & collocandis ad eum castris cogitarunt, ad quem cùm feliciter pervenissent, mirum in modum postea Hispanos vexarent: nam cum illi Mosam Rheno, magno suarum rerũ commodo infundere tentabant, factâ è Rhetzanis castris eruptione, disturbarunt opus: Sic Dux Rohanius, *(Duc de Rohan)* Gallus, in Tellina Valle bellum gerens artem commoda loca insedendi, & stativa faciendi, optimè calluit, quamobrem maximè sollicitus de intercipiendis claustris fuit, quæ Germanos pari-

pariter & Hiſpanos ab ingreſſu & irruptione excludebant, & illa *ſerra de Bagni*, hæc *ſerra della Valtellina* ab incolis vocantur, quibus occupatis ſtatim totius regionis potitus eſt: & cùm paulò pòſt à Fernamonte, Duce Cæſareo, illis locis ſubitò exuretur, ſecunda vice receptis ante omnia amiſſis opportunis locis, ſtationem veterem obtinuit. Cùm Septem-Vir Bavarus, 8. Junii Anno hujus Seculi XXXII, CXXXIV. vexilla Equitum, LVIII. peditum, Wallenſteinianis copiis junxiſſet, Rex Suecorum Guſtavus Adolphus, non admodũ magno ſtipatus Exercitu, ne in manus fortiſſimorum Ducum incideret, Noricos ad

ad agros inopinatò advolavit, & prope urbis mœnia subsistendo, pro sua qua tum pollebat potentia ibi comunivit castra, sparsasque hinc indè vires quàm celerrimè in unum contraxit, mox castra castris opposita, donec premente utrinq; annonâ, utriq; abitionem parare cogebantur; Sueco tamen prius castra mutando, quorum beneficio, & arte in iis locandis, tamdiu se opponere Cæsarianis numero illum longè superantibus ausus est, donec Exercitum L. millium efficiendo æquatis viribus congredi cum eis posset, quos posteà vallis se tenẽtes, quamvis cum magnâ suorum cæde, ultrò lacessere ausus est. Ut pluri-

plurima ad Rhenum capta loca, & Veteraviam Provinciam potenter protegerent, & in casu extremo illam pro suffugio haberent Sueci, fabricato ad Rheni gurgites ponte, quem ex una parte fortalitio quodã, quod Gustavsburg dixerant, ex altera parte per Moguntiæ mœnia quam tenebant, desensabant, hoc modo ad Rhenum subsistendo fines amicorum, & parta loca tuebantur. Tantæ virtutis res est nosse commodè considere cum Exercitu, qui etiamsi exiguus sit, si tamen ad latus habet fortem quendam locum, aut sub umbrâ munitæ alicujus regionis delitescit, sique ab Excellente quodam regitur Duce, non solùm

solùm potentissimi hostis arma illudere, verum etiam multis incommodis & difficultatibus afficere hostem poterit.

DISCURSUS XIV.

QUID IN MOVENDIS castris, & discessione Exercitus, observandum sit, ostenditur.

Rectè non minùs, quàm verè, dixit non ignobilis quidam Italorum; le gran' difficoltá richiedono grand' ingegno, le grand' imprese grand' intelligenza, e un gran' periculo un gran' cuore: profectò res ita se habet: quo major difficultas, quo majus periculum, tanto major requiritur diligentia

gentia & ſagacitas in ſuperando illo.

Sicut igitur artis eſt, noſſe commodè cum Exercitu pedem figere, aut caſtra ponere, quæ, ut verbo ediſſerã, fieri debent ad locum, qui capax ſit totum Exercitum etiam in ordines extenſum recipiendi, qui abundet aqua, ligno & pabulo ad alenda jumenta & equos, ipſaque caſtra ſint oportet communita & tormentis ac præſidiis probè defenſa: hæc inquam, ſicut in ſtativis collocandis obſervanda ſic quoque alia plura circumſpectè cauteq; in promovendis & tollendis iis attendenda.

Transferuntur autem caſtra, ſi in obſidenda aliqua urbe

urbe diutiùs desudavit miles, nec tamen ea potiri potuit, plerunque enim hujusmodi obsidia cum totius Exercitus conflictione solvuntur, diminutis ut plurimum, inediâ, labore & promiscuâ cæde copiis, quæ nisi redintegrantur, ad suppetias properanti hosti resistere haut possunt. Quare si expertus Belli Dux eos, quos obsidione diutiùs premere cœperat, missos tandem facere cogitur, quos insuper si abundare defensoribus viderit, adeoque timet, ne deducendo Exercitum ipsum à tergo invadant, aut fortè castra castris opposita habens, si ob supervenientis hostis majorem vim movere signa molitur, id de nocte & sub tenebris faciat,

faciat, absque strepitu & fr
mitu armorum, imitand
hac in parte Pompejum, cu
Exercitum Cæsaris, & Cæs
rem, cum Pompei Exercitu
de bell. Civil. l. 3. declinare vellet, ut utrumqu
describit Cæsar in Commen
suis: nec inconsultum er
ignes aliquando extinguer
ne sciat hostis si fortè pers
qui retrò moventem veli
quam viam insistat, aut qu
se vertat, quod fecisse As
drubalem, cum à Livii Sal
D. cad. 3. lib. 7. natoris castris secederet, test
tur Livius: aliquando auter
ignes accensos relinquer
profuit, ad fallendũ hostem
ut adesse adhuc discessur
credat, adeoque insequi c
intermittat, quod fecerun
lib. 7. apud Thucydidem Nicias

& Demosthenes Atheniensiũ Præfecti Bellici, qui, cum à Syracusanis post exantlata plurima mala se divellere cogerentur, *ignibus pluribus in speciem factis, quasi mare versus Exercitum abducere vellent, aliam, quam superiore die intenderant viam, ire cœperunt*: idem fecisse Aulum Cornelium Arvinam, Dictatorem, cum à Samnitibus castra movere vellet, ut & Philippum, cum à P. Sulpitio Consule, & Sylla, cum à Jugurtha se abstrahere cogitaret, testatur Livius & Salustius. *decad. 1. lib 8.* *decad. 4.* *lib. 5.* *bello Jugurth.*

Ast cùm ad Cyri apud Xenophontem utilissimum dictum ad Gobryam: *plena metus res sit, abscessio ab hoste*: semper hoc cogitandum est *lib. 5. de inst. Cyri*

Belli Duci, ut silentio premat discessum suum, quantum fieri potest, exemplo Niciæ apud Thucydidem, qui à Demosthene discedendum esse exaudiens, *cùm negare non posset malum esse rerum suarum statum, verbis tamen infirmitatem earum nolebat ostendere, neq; de discessu propalàm cum multis deliberare atq; decernere volebat, id enim hostibus enuntiari posse, & sibi eo modo multo minorem fallendi copiam futuram.* Quare ante omnia probè attendendum, ne, qui recedere cogitur, fugere videatur, & si fugæ similis discessus ejus videbitur, consultius erit, subsistere, & quoscunque sors tulerit casus subire, maximè autem omnium in

de bello Pelop. l. 7.

in abeundo caveat, dimittat animum, aut timorem præ se ferat, nec nimis celeri gradu insistat iter, sed videat ut conjunctis ordinibus regrediatur, post principia optimum & fortissimum agmen collocando, ut illos qui nuda procedentium terga invadere volunt, repellat, quod Brasidem fecisse paulò superius ex Thucydide diximus: in colligendis autem vasis militem expeditum esse jubeat, corruptis iis quæ secum asportare tempus non patitur, & concrematis castrorum tabernaculis, quod fecisse Considium & Pompejum, cum à Cæsare recedere cogerentur, ex Hirtio de Bello Africano & Hispanico discimus.

Nostro seculo si alter alterum ex stativis suis exciverat, viam ad futuram victoriam sibi sterni putabat, cujus rei exempla ut notoria & numero plura afferre, supersedeo.

DISCURSUS XV.

CAVEANT SIBI A MUtuis congressibus & colloquiis Principes inimici, & inter se dissidentes, maximè jam jam in armis stantes.

QVàm misera sit summorum Principum conditio, & quàm inter eos nulla fere queat esse firma voluntas ac amicitia, egregius ille Historicus, Philippus Cominæus, in Commentario suo de gestis Ludovici

vici XI. & Caroli Burgundi, variis in locis, animadversione sua in actiones horum Principum, nobis annotatum reliquit: inter alia laudatus Cominæus *imprudenter facere Principes, æquali potentia præditos*, affirmat, *si in collocutionem ipsi descendant, nisi forte sint eâ ætate, ut præter jocos & ludum nihil spectent aliud: nam posteaquam grandiores evaserunt, & æmulatio aliqua cæpit inter ipsos oriri, quod ferè plerunque fit, non est consultum*, ait, *ut ipsi congrediantur, ac longè præstat, ut controversias & quicquid est negotiorum curent per Legatos, viros bonos atque prudentes componi: hoc igitur existimo*, alio in loco idem Cominæus in-

quit, *debere Principes à congressionibus abstinere, modò salvam esse velint atq; integram amicitiam, fieri enim non potest, quin ipsorum familiares de rebus anteactis loquantur, non absq; molestia & fremitu alterius partis, alii sunt aliis elegantiùs vestiti, nascitur ex eo ludibriũ & jocus, atq; ita fieri necesse est, præsertim inter eos qui linguâ & sermone, & moribus differunt: ex ipsis quoq; Principibus aliis alii sunt decentiores, & aspectu magis honesto; iis jucundum est prædicari à multis, neq; id fieri potest absq; alterius qui deformior est vituperatione*: hæc Cominæus.

Exempla si petimus, non desunt plurima, ex quibus malè successisse Potentio-

rum collocutiones videre est.

Ludovicus XI. Galliarum, & Henricus Castiliæ Rex, ad confinia regnorum suorum congrediebantur, & coram inter se, prope flumen quoddam, quod Galliam ab Hispania dividit, conferebant: cum antea constans inter eos fuisset amicitia, illa post discessum eorum cœpit relanguescere, familiares & famuli amborum Regum qui Bajonæ habebant hospitium, non poterant sine turbis quiescere, & primo statim adventu tumultus inter se excitabant. Carolus Burgundiæ Dux, cum diu sollicitasset Fridericum Imperatorem, daret sibi occasionem cum ipso colloquia serendi, tandem in urbe Trevi-

rorum ad Fridericum accessit, facto sermonum commercio de matrimonio quodã, quod postea ipsorum liberi contraxerunt; agebant, & quicquid res ferebat suaviter tunc temporis inter se discutiebant, paulò pòst, fortè quòd luxũ Caroli ferre non possent Germani, Burgundiones contrà tenuitatem Cæsaris & parvum comitatum despicerent, insalutato Carolo Cæsar abiit, eamq; rem secuta est animorum alienatio, & Cæsaris odium in Carolum, cui, cum Novesium obsedit, armatâ manu restitit. Nec benè cessit colloquium, quod idem Carolus ad Atrebatũ cum Eduardo Angliæ Rege habuit; ab eo enim congressu semper quæ-

quædam infenſa æmulatio & amaritudo inter illos fuit.

Quod ſi equidem contingat, ut Principes æquante fortuna nati, pares inſuper virtute & æquales moribus, conveniant, & ſermonum commercia faciant, non dubitaverim, quin ex hujusmodi colloquio demulceri eorum animi conciliarique firma quædam inter illos amicitia posſit: at rarò uſu venit, pares hujusmodi ſibiq; invicē quoad honoris, virtutis & potentiæ gradus ſimiles offendere Principes, quive nulla inter ſe ſimultate confliĉtentur.

Quare generaliter colloquia Magnatum abhorrere videntur Politici, maximè eorum, quibus inter ſe cer.ami-

na sunt, aut apud quos quasi sub cineribus latere veteres adhuc inimicitiarum igniculi videntur, qui ad minimum motum reviviscere possunt.

Cum Ludovicus XI. Galliarum, & Eduardus Angliæ Reges, prope Picænium oppidum, nō procul ab Ambianis convenirent, abstinere se imposterum à bellis invicem velle, pacti sunt, sed amicitia, quam utrinq; promittebant, non diuturna fuit. Maximè autem omnium quibus capitales sunt inimicitiæ, quique vivido adhuc inter se diffidere videntur odio, à miscendis mutuo sermonibus avocandi sunt, deterriti exemplo Johannis Burgundi, qui, cum Caroli Sexti fratrem Ludovicum

cum, Ducem Aurelianum, de nocte Lutetiæ per ſubornatos in caput ejus percuſſores occidi juſſiſſet, paulò pòſt autem, quaſi ſopita eſſent & extincta odia, datâ utrinque fide, ad Monſtrelum cum Carolo Septimo ad colloquium devenire auſus eſſet, Burgundus ad conſpectum Caroli, tunc temporis Delphini Galliæ, à quibusdam Aureliani familiaribus, quos adduxerat, miſerè trucidatus fuit, anno duodecimo poſt patratam Aureliani cædem. Valerianus Imperator cùm benignè ac comiter cum Sapore Perſarum Rege inimico ſuo, de tollendis diſſidiis agere vellet, in vincula ab eo conjectus fuit, Ludovicus XI. Galliarum

rum Rex, ad Peronam cum Carolo Burgundo congrediens, de statuenda quadam firmiter Pace cum eo deliberaturus, ob allatū è Leodinorum finibus seditionis cujusdam nuncium, cujus causam Burgundus Regi attribuebat, clausis oppidi & arcis Peronensis portis; per aliquot dies captivus à Burgundo detentus est.

Sicut autem sermonum cōmunicationem inter Principes viribus & dignitate æquales, ast sibi invicem inimicos communiter prohibent Politici; ita etiam colloquia vetant inter Principem, & eum, qui inferior ipsi, aut fortè subditus est, aut rebellis & ini-

inimicus, ne dignitati & honori suo injuriam faciat.

Improbatur hac de causa in Ludovico XI. Galliarum Rege, quod non longè à Novioduno cum Conneſtablio, Beneficiario & Vasallo suo, adæquatis invicem armis in collocutionem descendere voluerit.

Quid de colloquis Principum aut Ducum Bellicorum in acie jam ſtantium dicendũ sit, in aprico eſt: abhorrent etiam talia colloquia Politici, ob varias quæ in hujusmodi congreſſibus tendi poſſunt insidias.

Hoc benè novit Philippus Macedonum Rex, apud Livium, qui cum T. Quintio ad colloquium veniens, cum

Conſul Romanus ad extremum litus maris progreſſus eſſet, Philippus autem in prora navis ſuæ, qua cum ad litus quoque perrexerat, ſubſtitiſſet, invitatus à Conſule in terram ut egrederetur, facturum ſe id eſſe negavit; quem tandem, inquit Quintius, times? ad hoc ille ſuperbo & Regio animo, neminem equidem timeo, præter Deos immortales, non omnium autem credo fidei, quos circa te video, atque omnium minimè Ætolis: iſtud quidem, ait Romanus, par omnibus periculum eſt, qui cum hoſte ad colloquium congrediuntur, ut nulla fides ſit: non tamen, inquit Rex, Quinti, par perfidiæ præmium eſt, ſi frau-

de

de agatur, Philippus & Phaneas, neque enim æquè difficulter Ætoli Prætorem aliū, ac Macedones Regem in meum locum substituent.

Quare vitio datum Hannibali & Scipioni, quòd castris suis paucis Equitibus comitati egressi, deinde etiam ab illis separati, soli intermedio quodam loco, assumpto interprete, nimis confidenter convenerint, tunc temporis maximè, cùm Carthaginenses de sua ipsorum salute, & rebus totius Africæ, Romani verò de universali Principatu ac potentatu decertaturi essent: de qua re videatur Livius & Polybius: malè audit etiam Cæsar, quòd cum Ariovisto in Gallia, ante aciem magna

Liv. decad. 3. c. 10. Polyb. lib. 15.

gna

gna ſanè fiducia colloquium inſtituerit; ut & ob eandem cauſam Commius Rex Atrabatum, qui cum Voluſeno Quadrato collocutionem non ſine temeritatis reprehenſione ante aciem habuit.

Circumſpectiùs ſanè Anno hujus ſeculi M,DC. XXIX. xxvi. Octob. egerunt quidam magni Belli Ductores, Hiſpani & Galli, qui, cùm de ſanguine & ſpiritu in honorem Regum ſuorum decertare conſtituiſſent, illi quidem de ſuperanda Caſale, hi autem de ſolvenda obſidione cogitantes: cùm autem, neſcio quô fatô, qua ratione ſine cæde & ſanguine Dominorum ſuorũ lites terminarent, inter ſe agere cœpiſſent, & tandem in certas

certas leges de retrovertendis utrarumq; partium signis inter se convenissent, dum ita mutuò deliberabatur, nemo Ducum ad colloquium procedere volebat: postquam autem in propositos invicem pacis articulos consensissent, ad serenda demum inter se colloquia ab ordinibus suis exierunt: primi quidem Hispanici Exercitus Duces, Marchio de Sancta Cruce, Dux de Lerma, Don Philippus Spinola, Dux de Nocera, & Comes Johannes Sarbellone, cum aliis triginta Campi Magistris: à copiis Gallorum ad Hispanos transierunt tres Mareschalli, Dominus de la Force; Schombergius, & Marigliacus, cum aliis Tribunis &

Centu-

Centurionibus Hiſpanis numero paribus, ubi poſtea in medio campi, quô acie concurrere deſtinaverant, poſtquam benevolos inter ſe ſermones miſcuiſſent, in mutuos invicem amplexus ruerunt.

Cum autem, juxta commune illud dictũ, nulla regula adeò firma ſit, quæ non patiatur exceptionem, ſic Principum inter ſe diſſidentium aut Belli Ducum in acie ſtantium colloquia, quæ à Politicis prohiberi diximus, hanc recipiunt limitationem, ut ſi ſalus Reip. & commodum ejus efflagitet, fieri poſſint hoſtium colloquia, aſt circumſpectè & cum omni cautione, loco quodam intermedio, eoque ab inſidiis vacuo; ali-

quan-

quando ſub exæquato comitum ſatellitio, armatis inter ſe colloquentibus, qualem locum in congreſſu Ludovici XI. & Eduardi Angliæ Regis omni providentiâ & curâ factum deſcribit & graphicè ob oculos ponit Cominæus. *lib. 6. Comin.*

Concludo itaque illô, quòd notanter in hanc rem docuit Polybius: *Qui ſe ipſi incircumſpectius in poteſtatem hoſtiū tradūt, culpandi, culpandi verò nō ſunt, qui quoad ejus fieri poteſt, prudenter cuncta gerunt: Etenim prorſus nemini quidquam credere, non facit ad res gerendas, ſi verò argumentis quatenus fieri licet certis habitus, quæ rationi conveniunt egeris, reprehenſione carebis; ſunt autem hujusmodi veriſimilia argumenta,*

menta, jusjurandum, liberi, uxores, & quod maximum est vita præterita, quod si horum quoq; reputatione in calamitatem incideris, non tua qui pateris, sed eorum est culpa, qui hoc faciunt. Quapropter talia potissimum quærenda sunt argumenta, & satisfactiones, quorum gratiâ is cui creditur fidem datam frangere non poterit. Quoniam verò rarum est talia invenire, proximum fuerit ea curare quæ rationi consentiunt, ut si hoc quoq; pacto falsi fuerimus, excusationem apud eos non amittamus qui extra sunt. Hæc egregiè Polybius, quomodo in miscendo cum hoste commercio procedendum sit, monet, vituperans eodem in loco Archidami Lacedæmonio-

niorum Regis factum, qui parum cõsideratè Clemoni sese in manus dederat, ut & Pelopidæ Thebæi, qui, cùm Alexandro inimicior esset, ad illum sub titulo & specie Legati accedere voluit, nec non idem Polybius ibidem Cajum Romanum ridet, quod in bello Siculo imprudenter quoq; in manus hostium sub prætextu colloquii sese conjecerit.

Decet autem Principes & Belli Duces fidem de securitate colloquii aut incolumitate congressus factam, integrè servare, eam enim fallere, quod apud Livium C. Manlio Consuli fecerunt Tectosagi, est peccare contra jus gentium.

Quapropter meritò ab Historicis suo seculo malè audit Delphinus Galliæ, qui postea Carolus Septimus dictus fuit, quòd contra tenorem juramenti sui, contra pactam fidem, & datam de incolumitate promissionem, Johannem Burgundũ, in congressu cum ipso facto, nefariè trucidari jusserit.

DISCURSUS XVI.

CIRCA INDUCIARUM negotia providum quoq; decet esse Principem.

Multa bella impetu valida, per tædia ac moras evanuisse, Suetonii Paulini, cùm de ratione belli inter ipsum & Othonem consilium

capereturur, notabilis vox est, apud Tacitum; hoc belli tædium causa sæpe esse solet induciarum, quæ solent esse inter duos belligerantes Principes ad breve aut longius quoddam tempus armorum interstitia, suntque illæ quasi nunciæ futuræ Pacis, prænunciæ quietis, & feriæ bellorum. lib. 2 hist. c. 32.

In pangendis autem induciis providũ æque decet esse Principem, ac in constituenda Pace cum inimico: induciæ enim non sunt ipse truncus aut stipes quietis, quam conciliare student paciscentes, sed folium quoddam & ramus quasi Pacis, qui facili operâ dejici, concuti & moveri potest.

Quare illum, qui debella-

turum

turum se inimicũ suum confidit, aut qui eum jam de gradu depulsum videt, ad faciendas cum eo inducias adduci non debere, putant Politici: Exemplum nobis præbet Julius Cæsar, qui inducias inire recusavit cum Libone & Bibulo, qui à partibus Pompej erant, cum perculsos jam & inclinatos eos stare animadverteret. Similiter, qui viribus inferiorem videt hostem, nec is facile ad faciendas cùm eo inducias descendet, poterit enim ille indultu temporis viribus crescere, & auxiliis exterorũ aut propriorum subditorum suorum suffultus, majore quam anteà periculo in caput inducias largientis bellum convertere: quod iterum

lib. 3. de bell. Civ.

rum nos Cæſar docet, qui inducias Germanicis denegabat, qui jam in Galliam irruperant, cum ſciret eos adventum amicorum, in auxilium eorum properantium, expectare. *Lib. 4. bell. Civ.*

Hac fortè ex ratione, cùm de induciis faciendis inter Philippum III. Regem Hiſpaniæ, Archiducem Albertum, ejusq; Conjugem Iſabellam, & unitos Belgii ſtatus conventus agerentur, cumque ob gravitatem negotii maximi Europæ Principum ſuas operas huic rei accommodarent, hac de causâ, inquam, cum jam ſecundâ vice ratificatio eorum, de quibus inter paciſcentes conventum erat, ex Hiſpania apportaretur, Prin-

ceps Auriacus Mauritius, Nassoviæ Comes, in Concilio generali statuum, Deputatos Provinciarum ne in inducias consentirent, adstringere volebat, quos in hunc finem hac oratione alloquebatur:

Credite dignissimi Viri, De-
« putati spectatissimi, quod haud-
« quaquam amor Publicæ quie-
« tis, sed necessitas, & angustiæ
« intrinsecæ Hispanos ad ineun-
« das cum nobis inducias im-
« pellant, angustiæ inquam in-
« trinsecæ, eò eos adigunt, ob
« maxima turbamenta & exitia,
« quæ, si unquam antea, hodie
« profectò in præruptum & an-
« ceps periculum totum Hispa-
« niarum per Belgium statum
« deduxerunt.

Quæ nox igitur, quæ cali- „
go, qui somnus, vestros inces- „
sit sensus oculosque; quæ in- „
tempestiva prudentia men- „
tes vestras obduxit, quæ ratio „
contraxit, ut sistere cursum „
victoriarum vestrarum veli- „
tis? emensis jam feliciter „
carceribus, & ubi jam proxi- „
mè ad metam accessistis: „
Turbati Hispanorũ sunt mili- „
tes, dissoluta apud eos milita- „
ris disciplina, lentæ adversus „
imperia sunt militum aures, „
feruntur odio & terrore, bel- „
lum igitur continuando, sine „
dubio propediem tumultus „
& factiones in Exercitu hosti- „
li videbimus, quas generalis „
perturbatio rerum Belgica- „
rum, & defectio totius Rei- „
publ. certo certius inseque- „

 tur:

"tur: nos autem vice versâ copias habemus, & genere & numero, & fidelitate & ordine & disciplinâ firmissimas, ornati sumus probè auxiliis amicorum, noster miles non caret stipendio, nec aliis rebus ad pugnam necessariis destituimur, gaudemus præsidio magno & firmo Gallicano & Anglicano, nec non à quibusdam Germaniæ Principibus suppetias habemus: Ulterius propugnamus causam, quæ non potest non esse justa & legitima, & ad quam sustinendam prona est omnis populi voluntas, his secundis rebus quibus utimur per terram, correspondent illæ quibus fruimur per mare? quid gravius duriusve accidere po-

potuit Hispanis, quàm incre- „
menta nostra non sine magno „
suo decremento cernere per „
Indiam Orientalem, & videre „
jam ipsis à nobis quoque „
præparari insidias per Indiam „
Occidentalem: Sanè metus „
amittendæ Indiæ, movet Hi- „
spanos maximè, ad procuran- „
dam eam nobis quam adeo „
jactant, quietem, & ad extor- „
quendas à nobis belli ferias. „
Quis autem persuadebit no- „
bis, rebus nostris supra vo- „
tum per mare & terram pro „
tempore fluentibus, incisis & „
interruptis, cōcedere, ut mu- „
tatâ sorte vertantur in rem & „
commoda inimicorum, quos „
dextro sinistroq; cornu labo- „
rare novimus? Perfectè vin- „
cere, est uti victoriâ callere, si „

" ſemel erraveris, vanum eſt
" poſtea pœnituiſſe: quare ca-
" veamus oportet, ne incida-
" mus in errores, quos corrige-
" re integrum poſtea non erit:
" ne nos deduci patiamur per
" ſpecioſa pacis & tranquillita-
" tis publicæ nomina, quicunq;
" enim populos bellicoſos &
" victores vincere & atterere
" tacitè ſecum ſtatuit, his utitur
" nominibus, ut fiducia quadã
" & opinione falſa ebrios, quaſi
" extra teli jactum poſiti ſint,
" in utramvis aurem dormien-
tes reddat. Hæc & alia plura
ille Princeps Auriacus, Mau-
ritius, ad unitos Hagæ Comi-
tum Status; prudentiſſimè
perorabat, ad avertendos eo-
rum animos, ne ſub rebus bel-
licis ex ſententiâ tunc tempo-
ris

ris fluentibus, cum hoste perculso ad inducias vergerent.

DISCURSUS XVII.

QVÆRITUR, AN EXpediat sub armis civilibus inducias inire?

SUb armis civilibus an consultum sit inducias cum factiosis pacisci, meritò quæritur? communiter autem inter hujusmodi turbas dissuadentur induciæ, maximè illi parti, quæ minus firma & potens est, hac ex ratione, quod sub induciis familiaritates & congressiones militum ex utraq; parte dimicantium prohiberi non possint: facilè igitur accidere potest, ut in hac conversa-

versatione militum fortior & robustior factio ad suas partes trahat debiliorem.

Quare hi soli Principes belligerantes optimè ad deponenda arma & ad ineundas inducias deduci poterunt, qui spe & viribus adhuc pares, æquato Marte supersunt.

Hoc ex fundamento in Concilio Generali statuum, contraire Mauritio Nassovio, cùm de induciis cum Hispano faciendis disquireretur, de quo jam suprà diximus, visus est Johannes Barnavelt, Generalis Provinciæ Hollandiæ Advocatus, præcipuus inter Deputatos Patriæ suæ, Vir magni nominis & authoritatis: Cum enim dissuaderet Mauritius,

tius,

tius, ut jam suprà retulimus, inducias, quod putaret Hispanos jam obtritos & quasi victos, ille eos ad vim apertam inferendam pares adhuc Belgis esse statuebat, & eapropter non recusandas fore oblatas inducias putabat: inter alia autem hæc in Concilio post Mauritium disseruisse dicitur.
Quod non sint in magnâ per- „
turbatione res Hispanorum, „
ego equidem inficias ire non „
ausim: ast nondum jam cum „
ipsis conclamatum est, nec „
adeò abruptæ spei sunt, ut „
nos in illos continuantes bel- „
lum, eos non magis ad resi- „
stendum suffecturos arbitrari „
debeamus: quantũ ego qui- „
dem judico, cerno eandem „
semper Rempubl. Hispani- „
 cam, „

" cam, quæ ab initio & in me-
" dio cursu nostrorum certa-
" minum fuit, imo sub nostris
" certaminibus toto Portugal-
" liæ Regno, & novis accessio-
" bus in Indiâ Orientali adau-
" cta fuit: video illam per mare
" & terras adhuc potentissi-
" mam: & quis quæso propius
" formidabilia ejus arma sensit,
" & aciem gladii Hispanici ma-
" gis expertus est, quam Cives
" Belgii? quæ alia Respubl. aut
" potentia Christiana hujusmo-
" di bellū, sane hominū memo-
" riâ maximum & crudelissimū,
" gerit, aut gerere sufficit, quàm
" sola illa Corona Hispanica?
" Quis quæso credat Hispanis
" deesse media ad protrahen-
" dum hoc bellum? quis quæso
" credat non superesse ipsis ad-
mini-

minicula ad ferenda turbis „
ſuis remedia, quibus hodie la- „
cerantur, & ad obviandum „
periculis, quæ in Indiâ exti- „
meſcunt? imò neceſſitas in- „
internecini noſtri belli ſub- „
miniſtrabit eis vires, de qui- „
bus nunquam antea cogitaſſe- „
mus, ubi poſtea de ſanguine „
ac ſpiritu noſtro de novo, ar- „
dentiusq; decertare cogemur: „
Et quis ſponſor nobis eſt, „
rem noſtram feliciter ſemper „
ſucceſſuram? annon & apud „
nos tument negotia? & ſi jam „
apud Hiſpanos inclinatæ res „
videntur, nõne perculſæ & tri- „
ſtes antehac apud nos quoq; „
erant: variæ enim & mutabi- „
les ſunt viciſſitudines rerum: „
quid ſi adverſa ſecundis pen- „
ſando, nos aggrederentur? „

" quid ſpei, quid conſilii? varia
" enim eſt belli fortuna, & an-
" ceps ſemper Mars: Quare
" meo quidem Judicio non a-
" mittendas eſſe è manibus pro-
" poſitas inducias reor, jam jam
" occaſio jubet, & exæquatio
" armorum ſuadet acceptan-
" das & amplexandas eſſe obla-
" tas inducias: hæc & plura alia
Johannes Barneveldt ad uni-
tos Belgis ſtatus pro ineundis
cum hoſte induciis eloque-
batur.

Nonnulli Politicorum, qui Principem ad faciendas cum hoſte belli ferias invitant, ut tamen ab otio & languore interim avocet militem, & in exercitio ſuo retineat, ſuadent, ut extendantur induciæ ad unam ſaltem partem ſtatus

inimi-

inimici, in alterâ autem parte eum hostem persequi debere suadent: hoc ipsum tentarunt olim Belgæ, cum sub auspiciis hujus seculi, ut supra prolixè diximus, de pace inter se & Hispanum firmiter stabilienda conventus agerentur, quam postea induciæ duodecim annorum excepetunt: cum ratione navigationis ad Indias, coire inter se non possent, proponebant Batavi, velle se durantibus induciis per omnes Europæ oras Regi Hispaniarum subjectas, bellum quidem extinguere, ast illud continuare in partes mundi Europæ oppositas, inque illis contra Hispanos prorogare certamina. Apud Thucydidem hoc fa-

ctatitatum quoque aliquando inter Lacedæmonios & Argivos fuisse, recordor: qui ad quinquaginta annos inducias & pacem inter se inibant, hac tamen cum conditione, *ut interea utrisq; de Agro Tyreathico & Anthenatico de quo antiquissima lis erat, depugnare, salvis induciis liceret.* Addunt & hoc circa materiam propositam Politici: quod Princeps bellis vexatus, si è re sua esse viderit habere inducias, & sub illis emergendi spatium nancisci putat, nõ recusare debeat etiam sub certo stipendio, aut auro, sibi illas emercari: exemplo Periclis, qui, ut partem aliquam bellorum Atheniensibus suis, quibus ab aliis quasi jam oppressi

pressi erant, diminueret, *quotannis decem talenta Spartam misit, quibus Proceres Reipubl. demulcens, bellum averteret, non quidem ut pacem redimeret, sed tempus, dum se ad bellum rectius aliquando gerendum, per ocium compararet.*

Sequuntur nunc Discursus de variorum Europæ Magnatum & Rerumpub. rationibus Status bellici.

DISCURSUS XVIII.

QVÆ RATIO STATUS Bellici, hactenus Reipub. Venetæ fuerit, ostenditur.

Pindarus in Hyporchematis apud Stobæum: *suave bellum non expertis* Serm. 48

pertis esse, notanter dicit: *at qui gustavit, valdè contremiscit animo, quoties adventans illud videt*, inquit: Hoc Pindari dictum prout firmâ stat ratione, ita multos habet hodieque adstipulatores, quos bellorum incommoda hactenus exantlata, idem ex Stobęo ingeminare docebunt: Maximè autem Rebuspub. earumq; Rectoribus Pacis nomen dulce esse videtur, resq; ipsa cum jucunda tum salutaris, *tam quibus salus publica, quam quibus gloria carissima est*.

Tacitus Agri. c 31

Respubl. Veneta, ut ætate, splendore, viribusq; cæteras Europæ longè antecedit, interque illas radiat:

velut

- - velut inter ignes
Luna minores:

ita etiam quâ ratione tempore turbati ſtatus, Rebuspub. procedendum ſit, prudenti hactenus Regimine ſuo, commonſtravit: Illa enim quæ reſpectu ſitus ſui & dominii maris Adriatici, & tot Provinciarum in terrâ firmâ, nec non perennitate moderaminis ad duodecim usque ſecula, potentiſſima juxta ac famoſiſſima audit, nihil æquè curæ ac cordi habuit, poſtquam toties Exteros in Italiam irruentes vidit, quam ſolùm conſervationi ſtatus ſui ſtudere: Cum enim Rebuspub. hoc peculiare ſit, quod nemo politioris ingenii negat, ſuorum fundatorum adhærere principiis,

cipiis, quod post alias testatu
quoque Respub. Romana
illa enim dilatandi imperii s
cupidissima erat, quia fabri
cator ejus Romulus, statim
in primordio summa amb
tione ad Dominatum con
tendebat, fundamenta igitu
Romæ, bello & armis, cæd
& sanguine jacta, firmamen
tum & robur ab armis pe
posteros acceperunt: Contr
Reipub. Venetæ fundatore
gloriâ militari haut illustres
necDominatus cupidi, pacem
& quietem sectabantur, utpo
te quos infelicissimus Italia
status, crebris Barbarorum in
vasionibus expositus, ad ma
ris Adriatici paludes relega
verat, intra quos recepti, cum
intactos sese bellis animadv

ver-

vertiſſent, ſolâ hac quiete contenti erant: ab hoc principio fundatorum ſuorum, cum poſteri recedere nefas ducerent, pro arcano ſtatus ſui Pacis tempora & ſtudium propriæ conſervationis habuerunt: Ne igitur à ſcopo præfixo & à primis ſuis aberrarent fundamentis Veneti, toti in hoc unico occupati ſemper erant, Libertatem Italiæ propugnare, & diverſas diverſorum Principū potentias ad æquilibriū reducere: quare temporibus potius quàm moribus parere, neceſſitati cedere, conſilium ſubindè mutare, modò hos amicos, modò inimicos habere, erga Exterorum aut Vicinorum vires ſemper cum timore aut

ſuſpicione verſari, ad illas commoda pariter & incommoda ſua metiri, & circumſpectè, ſcrupulosè, tardèque ſemper agere, pro virtute virtutum maxima habuerunt. Agedum paululum per hiſtorias & res geſtas Venetorum eamus, re ipsâ, quæ hactenus diximus, probaturi.

Carolus VIII. Galliæ Rex, cum per totum Italiæ agrum infeſto agmine & populabundus vagaretur, ſola Reſpub. Veneta ab armis ejus aliena fuit: cum autem videret, poſt tot præclaras Galli victorias, communem Italiæ libertatem inclinare, neutralitate, quod ajunt, relicta, armis quoque ſuis Gallo ſeſe oppoſuit, & ſtatum Mediolani ab imminenti

nenti casu conservavit, cogebaturq; Rex Alpes transire, & Regnum Neapolitanum Aragonensibus cedere.

Ut ab insidiis Ludovici Sfortiæ sese liberaret eadem Respub. & Cremonam statui suo adjungeret, Ludovici XII arma ad Mediolanensis status occupationem destinata, felici successu promovit; ast societas hæc Leoninæ non absimilis, nocumento Venetis fuit, Ludovicus enim XII. ut Venetos Cremona exueret, cum aliis Europæ Principibus in perniciem Venetorum fœdus iniit, ex quo fœdere illi undique oppressi, opinione citius intra Urbem suam, circumflui Maris beneficio munitam, redigebantur, amissis

in

in terrâ firmâ locis quamplurimis: ut autem avita recuperarent, in gratiam cum Pontifice Julio redeunt, qui primus à fœdere Cameraci inito, discessit, & Regem Catholicum sibi associavit: ast cum sperassent ope Hispanorum perdita recuperare, elusi ab Hispanis, ad Francisci I. partes accesserunt, cuius ope & præsidio, ea quorum antea jacturam fecerant, partim vi, partim ex pactione Noviodunensi, dato Cæsari Maximiliano auro, feliciter receperunt: paulò pòst, videntes Veneti, quod Galli propria culpa & negligentia Mediolanensem statum ivissent perditũ, & quod infaustis eorum conatibus opem ferre, aliud non esset,
quam

quam unà cum ipsis in casum se dare, & proprium statum suum dimicationibus & bellis implere, cum fortuna amicos mutare constituerunt, & Caroli V. partes secuti sunt: postquam autē post acceptā ad Papiam Gallorum cladem, & Francisci I. captivitatem, laboranti Italiæ, & sub tot tantisque Cæsaris victoriis gementi, succurrere opus fore, putarent, iterum ad Gallos abibant, illisque adhærebant, quæ accessio nō sine gravi periculo erat: illos enim postea in Pace Cameracensi Galli deserendo dubiis atque formidolosis Cæsaris Caroli V. armis expositos, solos, omnique ope destitutos, in præcipiti loco relinquebant: cum autem

autem primam periculi procellam cum Cæsare parumper validéque satis sustinuissent, inita cum eo Bononiæ Pace, Francisci Sfortiæ ad Ducatum Mediolanensem reditum, paulò pòst procurabant.

Hujus Pacis articuli tantâ integritate à Venetis observati fuerunt, ut quamvis postea amplissimis præmiis & conditionibus sæpius à Gallis ad sequendas eorum partes invitarentur, utque conjunctis viribus Hispanos è statu Mediolanensi depellerent, rogarentur, utpote cujus post mortem Francisci absolutè potiti erant, aures tamen præbere noluerunt, partim quod eos, expletos jam jam Italiæ miseriis, bellorum pigeret, nec è

re

re suâ fore putarent, denuo turbare Italiam, partim quod parum tribuerent Gallicanæ nationi, in Italiâ nunquam non infelici. Quapropter ab Anno M.D. XXX, quo anno Bononiæ cum Hispanis Reipub. pax intercessit, usque ad præsens hoc tempus offensivum cum Hispanis & Venetis bellum visum non fuit.

Pontificibus Romanis, quos aliquādo amore privati commodi modestiæ terminos transilire viderant, cùm non essent qui sese opponerent, quòd alios virium imbecillitas, alios timor, alios amicitiæ vinculū, & nexus reverentiæ, alios aliud quid deterreret, illi non dubitârunt contraire, & propriam aliorum causam,

 com-

communem & publicam facere, toti semper ad hoc intenti, cavere, ne crescant minores, & decrescant potius quàm augeantur Majores, id quod, cum solis viribus suis ubique tentare non possent, accessionibus tamen suis, & modò ad hos modò ad illos deflectendo, quosque maximè afflictos senserant, adjuvando, assecuti sunt, in eo scopum semper arcani sui Politici intuendo, quod erat, conservandi Status sui curam nunquam deposuisse: Et licet ad discutienda & comprimenda Hispanorum consilia, pro perniciosa Italiæ habita, non ita pridem præsidium aliquando suum Mantuæ Duci accommodaverint, & Gallis sese

ſeſe junxerint, res tamen illa nulli aperto cum Hiſpanis certamini anſam dedit, cumque anno M.DC. XXXV. Franciæ Rex, Hiſpano bellū, quod adhuc hodiè ancipiti Marte geritur, denunciari curâſſet, Neutrales ſeſe Veneti præbuerunt, non infenſi Hiſpanis, nec aſſiſtentes Gallis.

Habes hic B. L. in brevi quâdam tabellâ oculis expoſitum arcanum Status Veneti, quod ſolùm in conſervatione ſui conſiſtit, cumq; poſt duodecim ſecula dubiam ſæpè Respub. illa experta ſit fortunam, nunquam non inter belligerantes vicinos aut æmulos prudenti conſilio rei ſuæ ſupereſſe novit, exemplo laudabili præire volens Re-

buspub. Europæ cunctis, quâ ratione communem belli casum, aut evitare, aut sustinere debeant: *Scilicet nullâ ambitione ad aliena contendendo, conservationi propriæ solùm studendo, ad munia belli vocatæ si fuerint, difficiles se præbendo*: Sic non pœnitebit filias Matrem esse secutas, nec Matrem filiabus præivisse: Quid enim tam egregium, quàm hoc, quod olim de Chaucis Tacitus in libro de moribus Germanorũ (c) scriptum reliquit: *magnitudinem suam justitiâ tueri, sine cupiditate, sine impotentiâ, nulla provocare bella, utq; superior agas, non per injurias assequi, (d) partaq; à majoribus, æquitate, quàm sanguine, causâ quàm armis retinere.*

c) c. 35.

d) in Annal. c. 2.

DIS-

DISCURSUS XIX.

QVÆ RATIO STATUS bellici hactenus Helvetiis fuerit, declaratur.

PRo hominum moribus Deum constituisse formas Reipub, notanter ait Lipsius, & id ipsum etiam testari videtur experientia: *Vides*, inquit allegatus Lipsius, *Etrusca ingenia nimis alta, inquieta & excitata, Deus Principe coercet, Helvetiorum sedatis & mitibus libertatem indulget: Venetorum mediis, medium dat Regimen*, sc. Aristocraticum. *lib. 2. de Constant. c. 9.*

Helvetiorum mores & Imperium & rationes belli si consideramus, eos accuratè sanè in iis hactenus versatos

eſſe, & adhuc verſari, deprehendimus, adeoque injuriam quondam paſſi ſunt à Ludovico XII. Galliarum Rege, qui eos Ruſticos intra montes natos, vocavit, ut refert Guicciardinus: illorum enim vivendi rationem, & moderandi regiminis ſtudia, quicunque libertatem ſectari volunt, meritò imitari deberent.

Helvetii inter Europæos peculiari gaudentes ſitu, ante & ponè, ad dextrã, ad levam, montibus circumdati, hoc patriæ ſuæ poſitu commodè uti nôrunt: cum enim tranſitum præbeant iis qui ex Gallia aut Germania in Italiam migrare volunt, beneficio ſitus ſui, multorũ amicitiam ab

invitis etiam ſibi comparant: Rex Galliæ enim cum maximo ſtudio requirat & prætendat veteres ſuas poſſeſſiones in Italiâ, maximè autem omnium ſtatum Mediolani, cum quibusdam Italiæ Principibus ſecretam fovet amicitiam, & habuit olim, habetq́; in præſentiarum loca aliqua munitiora in Italiâ, quorum ope omiſſa recuperare ſperat, omnem occaſionem captando ne intereant ſibi amici à partibus ſuis ſtantes, cavetq́; ne exuatur locis, quæ ad confinia Italiæ poſſidet, ut ope illorum ad ſubitanea ſemper ſuccurrere amicis ſuis poſſit: Quare Helvetiorum admodum cupidus eſt, ut patere ſibi clauſtra Italiæ ſinant, ſi

fortè necessitas & ratio status sui ad irrumpendum invitet.

Ex altera parte Hispanorum studia eâdem de causâ inclinant etiam in Helvetios, scilicet ut ope positus regionis suæ, tectum sibi & defensum reddant Statum Mediolanensem, cujus anniversarium quasi inimicum esse nôrunt Gallum, ut igitur transitum Gallis, aut aliis quibuscunque, qui Statum Mediolanensem infestare volunt, occludant, velificantur honori & commodis Helvetiorum maximè, utque habeant paratos ad excipiendos suos milites, & promovenda arma, si fortè extra Italiam succurrere laborantibus provinciis

suis

suis necesse sit, aut si castigare rebelles volunt, omni studio eorum amicitiam sectantur: Cùm autem juxta vetus illud proverbium, nemo possit Dominis rectè servire duobus, præprimis contraria jubentibus, Hispanorum & Gallorum simultates sæpè hactenus excruciârunt Helvetios, nescios sæpè cui partium sese dedere; Hoc autem more Hispani juxta ac Galli hactenus erga Helvetios vixerunt: cùm vidissent illos inter se ob Religionis negotium dividi, aliis Catholico-Romanã, aliis Evangelicam Religionem profitentibus, Hispani sese associârunt Catholicis, Galli verò generali fœdere tredecim Statibus, quos *Can-*

tones vocant obstricti, Evangelicis huc usq; præcipuè cupere visi sunt, qui, cum Catholicos virib9 superent & optimè semper Gallis factũ velint, maxima hactenus commoda per militum collectiones & spontaneos ad castra Gallicana transitus illis perceperunt Galli, non æquè tanta Hispani à Catholicis; Hoc tamen apud illos inter privatos hactenus liberum fuit, absque præjudicio & timore violationis legum patriæ, modò Hispano modò Gallo servire, sequunturq; eorũ signa prout sibi decerni stipendia vident. Rationes igitur belli sui solùm in conservandâ libertate suâ positas habent, adeò ejus tenaces, ut vel minima

uni

uni confœderatorum facta injuria subitò ad arma vocet universos, imitanturque hâc in parte constitutionem corporis humani, cujus membra ita invicem conjuncta, ut vel minima læsio dolorem toti corpori afferat: ita & illi, adeò amanter hactenus sibi invicem ancillari visi sunt, ut unius causam statim habeant pro publicâ, maximè si exindè detrimentum capere libertatem vident, pro quâ, posthabitâ etiam Religionis diversitate concurrunt & pugnant masculè, verificantes egregiũ illud Sallustii: *Quòd libertas juxta bonis & malis, strenuis & ignavis optabilis sit.* Hodie inter se ipsos decertare, & ob religionis studia tumere ne- *ad Cæsar. Orat. 2.*

gotia eorum audiuntur, admirantibus cunctis: quæ res quem finem habitura sit nemo non politiorum videre expectat.

DISCURSUS XX.

QVÆ RATIO STATUS bellici ab initio formatæ Reipub. Belgicæ, Batavis fuerit, & ad hæc usq; tempora sit, recensetur.

AD duo latera Germaniæ, omnium rerum affluentissime, duo potentissimæ, priori seculo sese efformârũt Respublicæ, quas in metu habent multæ hodiè Europæi orbis potentiæ: hæ duæ Respub. cum vi & virtute suâ inter Magnates Europæos

pæos prohibere hodiè multa possint, nō incommodè quis illas duo Germaniæ brachia vocaverit, quorum dextrum Helvetios dixerim, sinistrum unitarum Belgii Provinciarum Rectores: De Helvetiis discursu superiore actum est, restat de rationibus belli unitarum provinciarum ab ortu Reipub. suæ, usq; ad præsens hoc tempus, pauca disserere:

Batavi postquam virtute Wilhelmi Principis Auriaci vindicias secundùm libertatem sibi datas viderunt, viribus & conjunctionibus de Anno M.D.LXXII. de die in diem aucti fuerunt, ut tandem cùm potentissimo totius Europæ Monarcha luctari, & magno animo in ipsum

ire, non dubitaverint: Non autem soli diu confœderati Batavi steterunt, ipsis enim Elisabetha Angliæ Regina, & Rex Galliæ Henricus IV. sub pacificis Regnorum suorum annis, multa dimicatione & contentione in odium Hispanorum præstò fuerunt, aliive Europæ Magnatum plures, qui vi nummorum ausus Batavorum insigniter promoverunt, adeòq; hi omnes pro ratione bellicâ duxerunt, sub acie alieni gladii, & periculo vicini commune contra Hispanum bellum gerere.

Nova hæc Respub. sub auspiciis regiminis sui libertatem & speciosa nomina, scil. amorem Religionis, fugamq; Tyrannidis, prætexuit: sub annis

Tacitus l. 4 hist. c. 73.

annis infantiæ suæ maximè agitata fuit, & crudelissima sustulit bella, adeòque primitùs in sanguine ac cæde suorum versari jussa, cum cōtra spem & opinionem omnium pericula non dubitanter adeundo, & quasi in singulas horas de capite dimicando, maximas periculi procellas parumper sustinuisset, se suasq; fortunas moderatius postea tueri cœpit, tandemque propriis stabilita viribus, non solùm impetus hostiles excepit, verùm etiam propulsavit: vis autem & nervus potentiæ suæ potissimùm in commoditate situs Regionis suæ consistebat, quæ ex parte Oceano clausa, intus fluminibus munita, varia aggressoribus suis

dabant

dabat obſtacula: Oceanus ipſe, ope navigationis, aurum, quod nervus rerũ militarium eſſe ſolet, ſubminiſtrabat abundè, adeoque etiam amicorum in auxilium venientium ſubſidia facilitabat.

Ab anno præterlapſi ſeculi M.D.LXXIX, ſub feliciſſimo Alexandri Farneſii ductu, ſtatum ſuum bellicum ad maximas anguſtias redactum vidit Reſpub. Belgica; poſtquam enim dictus Farneſius ad Gomblacum confœderatos magna ſtrage affeciſſet, *Lovanium*, *Iudoigne*, *Geldonia*, *Boviniacum*, *Dieſthemium*, *Sichemium*, *Nivialum*, *Binchium*, ut & totus *Ducatus Limburgicus* iterum in manus Hiſpaniarum Regis devenit, pari modo

modo ejusdem Farnesii virtute *Trajectum ad Mosam* Regi Hispaniarũ cessit, ut & paulò pòst *Buscum, Mechlinia, Cortracum, Frisia & Transisalania tota*: imò cum nulla calamitas sola communi proverbio, dicatur, Anno M. D. LXXX. ad fluvium Mandram magnâ strage affecti, recesserunt.

Anno subsequenti, Auriaci Princeps, *Bredæ* jacturam fecit, quam postea comitata est amissio *Tornaci, Aldernardæ, Dumkerkæ, Neoporti, Winocibergæ, Dicusmudæ, Steenbergæ, Zutphaniæ, Sassi Gandæ, Rupelmundæ, Hulstæ, Alosti, Iperarum, Brugarum*: omnia hæc per manum Farnesii Batavis erepta fuerunt. Idem in capiendis locis, æquè

ac

ac in profligandis hostibus felix, Alenzonium Gallum, in prælio quodam fusum, ad lares suos relegavit, nec contentus tot victoriis, *Tencramundum* etiam, *Gandavum*, *Neomagum*, *Bruxellam*, & anno M. D. LXXXV. ipsam *Antverpiam* fœderatis vi extorsit & Regi suo restituit.

Eò necessitatum compulsi confœderati, ad alias belli rationes convertere se voluerunt, & quod adhuc in Belgio ipsis residuum erat, in clientelam Elisabethæ Angliæ Reginæ dabant, illa per Lycestrię Comitē an. M. D. LXXXV. clientelam suscepit, in extremâ fortunâ deserere vicinos suos nefas ducendo: interea incidit Farnesii mors, post quam

quam indies declinare Hispanorum res in Belgio visæ sunt. Excitabatur paulò pòst Batavis fortissimus Heros, Mauritius Nassoviæ Comes, qui spatio unius anni novem Urbes, quinque castella, tres Comitatus, & tres Dominatus illis subjecit, cedit ad Neoportum idem Mauritius Hispanum, & cũ ille paulò post per tres integros annos obsideret *Ostendam*, per Mauritii virtutẽ interea perdidit *Slusam*, quæ res Confœderatis animum de novo addebat, & jam ad validiores rationes belli vocabat, quas tam dextrè & prudenter persequi nôrunt, ut, nisi Ambrosii Spinolæ interventus, cursum fortunæ Belgis paululum retardâsset, succumbere

&

& fortunæ cedere coacti fuissent Hispani: Hi cùm vidissent, per quadraginta annos post Farnesii excessum, se vi armorum suorum confœderatos nequicquam subnervâsse, imò multis modis auctiores & fortiores reddidisse, dubitantes autem cum subditis suis, & iis quos pro rebellibus habebant, pacem unire, extrema sub Ambrosio Spinola tentare cœperunt: subigunt itaque *Oldensilam*, *Lingiam*, *Wachtendoncam*, *Locbum*, *Grolliam*, & in viscera unitarum provinciarum penetrare moliuntur: ast cum Mauritius vanos reddidisset hos conatus, & jam spes tenuis ostenderetur, vi & armis debellari posse unitos Status, Hispa-

Hiſpanus tandem ad ferias belli ſeſe convertit, & duodecim annorum inducias cum hoſte paciſcitur, quæ Antverpiæ anno M.DC.IX. ſolenniter publicatæ fuerunt. His autem de cauſis ad ineundas inducias deſcendere voluit Hiſpanus, ut durantibus illis navigationes Indiarum ſibi redderet incolumes, & à Batavorum inſidiis liberas: deindè ſperabat Hiſpanus, fore ut ſub pace & quiete in varias factiones diſceſſuri ſint Batavi, cumq; etiam ſub tranquillis rebus emolleſcere plerunque animos, & effœminari ſciret, ſe poſt expiratas inducias Hollandos inter ſe diviſos, & ad laborem bellicum denuò ferendum langueſcentes

tes deque virtute pristinâ remittentes inventurum sperabat, adeòque unico felicioris fortunæ afflatu res suas restitui posse existimat. Henricus IV. Galliç Rex, cujus intererat potentissimi Regis, & Reipub. indies assurgentis arma à finibus regni sui arceri, omnē movebat lapidem, ut perficerentur propositæ induciæ, quibus spes daretur confœderatis subsecuturæ aliquando libertatis.

Durantibus induciis, quod accidere debere desiderabant Hispani, scilicet videre factiones & dissidia inter Status, ita quoq; contigit, seditionibus & dissensionibus inter semetipsos sæviebant cōfœderati, & fiebant ob Arminii circa religionis

gionis negotium novam opinionem, discessiones, quæ vix ac ne vix quidem Synodo Dordracensi tolli poterunt: Interea anno M. DC. XXI. præterlabitur pactum induciarum tempus, ex utraq; parte redintegratur bellum & recrudescunt certamina, Marchio Spinola primùm adoritur Bergozomium, premitq; obsidione, quam paulò pòst jactura decem millium suorum solvere cogitur, invanū etiam ab Hispanis tentatur Julium & castellū Isabellæ: Confœderati non minus quam olim felices potiuntur *Oldensilæ*, & anno M. DC. XXIX. sub potestatē suam redigunt *Buscum Ducis*, *Venlonam*, *Rurmundam*, *Trajectū ad Mosam*,

Lim-

Limburgum, & castella plurima. Anno M. DC. XXXV. capiunt *Landinum*, *Halenum*, *oppidum Thenense*, *Listham*, *Arschottum*, cuncta Brabantiæ loca, hos confœderatorũ progressus videntes Galli, illis sese contra Hispanum associant, & *Dunkerkam*, *Gravelingam*, *Artrebatum*, fortissima & munitissima loca sibi acquirunt: ad hæc adversa, rationes belli sui mutare cogebatur Hispanus, inconsultum fore putans, cum duobus potentissimis inimicis rem simul habere, quod ne Herculi quidem adversus duos pugnanti, successit, sub amplissimis igitur conditionibus pacem offert Batavis, spondetq; libertatem & abdicationem jurium

jurium ſuorum in illos: Hæc ambabus manibus amplectuntur confœderati, acceptant quietem, Gallis intereà in arenâ relictis.

Hactenus autem in pace quieſcere cernuntur Batavi, rationes belli hodièq; eò dirigentes, ut quæ prodiga cæde & ſanguine ab Hiſpanis ſibi acquiſiverunt, iis commodè fruantur, majoris jam eſſe virtutis putantes, parta conſervare, quàm aliena quærere.

DISCURSUS XXI.

QUÆ RATIO STATUS bellici fuerit olim Angliæ & in præsenti sit, declaratur.

SI quis in Aurificis staterâ, aut quadam populari trutina examinare aureos constituit, si vel minimum aliquod ramentum, aut granum aliquod ad alteram libræ lancem apponit, statim depressam alteram lancem videbit: Ita accidit quoque in mundo inter duas potentias, viribus & numero æquales, si fortè ad libram revocantur: minima infirmi quamvis & debilis cujusdam vicini accessio, ad unam harum, ingravescentem statim reddit alteram: Quod optimè

mè agitare nôrunt veteres illi Romani, idq; ingenuè fatetur Romani eloquii flos, Cicero, cùm ait: *Noster populus sociis defendendis, terrarum jam omnium potitus est.* Priori seculo, pro ratione bellica hoc ipsum habuit etiam Anglia, quam Tacitus *Insulam quas Romana notitia complectitur maximam*, vocat, & alio in loco, *Oceano divisam*, appellat, & celebrat quod *fluminibus & sylvis munitos incolas habeat.* In Orbe Europæ videtur hodienùm Britannia esse quidam parvus mundus, cæteris ad latus appositus, per se subsistens & res suas sibi soli habens, imò grande quoddam & vastum animal, quod capi, domari aut occidi nequit, nisi

3. de Repub.

in Agr. c. 10.

Hist. 1. c. 9.

de M. G. c. 40.

seipsum interimat, aut spontè in laqueos incidat. Sub gravissimis Caroli V. & Francisci I. certaminibus, accessione & pondere suo unam alteramve inter se depugnantium partem, aut deprimebat, aut sublevabat, suasque vires eò intendebat unicè, inter hos duos dimicantes sibiq; invicem infensissimos Principes, æqualitatẽ servare, jam enim afflicto & enervato succurrere volebat, mox ingravescente ejus potentiâ, accessione suâ ad alterius partes deflectendo, gravitatem illam moderabatur: prout igitur necessitas flagitabat, jam Hispano aderat, jam relicto Hispano, Gallo sese adjungebat, variando accessiones suas pro varie-

pro varietate fortunæ, quare tandem ab Europæis tertiæ potentiæ Christianæ nomen promeruit: nec dubitavit sub illo tempore publicè rerum Europæarum Arbitrum se profiteri Henricus VIII. quandò in famosissimo illo ad Caletum inter Carolum V. & Franciscum I. habito colloquio, tentorio suo, tabulam imponi jussit, colorum pulchritudine admirabilem, quæ sagittariũ habitu Anglicano incedentem & pharetratum referebat, hâc cum inscriptione: CUI ADHÆREO, PRÆEST.

Postquam autem Anglia mutare religionem cœpit, exterminando Romanam, & introducendo *Evangelicam*,

mutari quoq; paululum statum suum vidit, adeoque etiam veteres rationes belli corrigere coacta fuit: ob religionis enim negotium lacerum ex parte &in factiones divisum vidit Imperium: Regionem enim Catholico-Romanam sustentabat Philippus II. Hispanus, qui inclinatione fidei suæ multorũ animos in Anglia sibi propensos reddebat: hanc populorum inclinationem in Hispanum, offensionem autem in se, cum perspexisset Elisabetha Angliæ Regina, ut in tempore his factionibus obviam iret, & truncaret omne malum quod turbare statum suum posset, continuo bello Hispanum exercere, secum statue-

ſtatuebat, triplicem hac in re ſectando fructum. Primus erat, armis ſuis potiſſimum affligere vim Hiſpanicam in India, ubi Hiſpanorũ incrementa livido ſemper rimabatur oculo: alter, ut per mare Hiſpaniam expilando, navigiorum ſpoliis quæſtuoſam redderet Angliam: Tertius, ut occupatos ſibique obnoxios hoc in bello redderet ſubditos, eosque indies rei maritimæ faceret aſſuetos, tandemque Hiſpanos, pariter & ſubditos ſuos, eorum ſtudioſos, à novationibus & factionibus avocaret: ne autem ſub mole continui belli ſuccumberet, cunctis Domus Auſtriacæ hoſtibus ſeſe aſſo-

ciabat, Galliæ quacunque
poterat præstò semper er
verita ne spoliis illius Reg
gravior sibi fieret Hispan
nec ope suâ Principes quo
dam Germaniæ destitutos
se volebat, maximè auten
omnium crescentem unit
rum Belgii Provinciarum p
tentiam manibus pedibus
adjuvabat, partim ut Hisp
no æmulum quendam ex
tando, continuum facesse
negotium, & quicquid sup
flui firmamenti ac virium h
beret, hoc modo detrahere
partim ut Provincias Belgii
bi redderet obnoxias, quib
imposterum pro munimen
& propugnaculo uti poss
quod opponeret illis, qui A
gliam infestare vellent.

Su

Successit Elisabetæ Rex Jacobus, qui, cum videret, unitas Belgii Provincias non magis indigere subsidii sui, utpote in immensum jam auctas, & adeo viribus valentes, ut sine ope sua cum potentissimo cõflictari Monarcha possent, imò adeo eas crevisse prudenter judicans, ut jam possessionem Oceani ipsi Angliæ ambiguam facere possent; aliquid immutare de institutis & rationibus bellicis prioribus voluit, & quoniam literarum atque otii amantissimus erat, cum Hispano pariter & Gallo Pacem colebat.

Carolus Filius ejus, quamvis labentes in Gallia Religionis socios, quos Hugenotos vocant, sustentare cæpisset, & ter-

tertia vice Rupellanos graviter obſeſſos, à ruina detrahere tentaſſet, adeoque graviter Galliam offendere non dubitaſſet, nec cum Hiſpano integram colens amicitiam, aperto tamen bello nec Gallum, nec Hiſpanum laceſſere volebat, utpote qui ſub principiis regiminis ſui ſecum ſtatim occupatus erat, cum propriis ſubditis rem habendo, donec ingraveſcentibus turbis vita pariter & regno exutus fuit.

Anglia igitur hodie Rege ſuo deſtituta, ſub moderamine Protectoris ſui vivit: quod attinet rationes belli hactenus ab ipſo obſervatas, videtur ille ad principia priora ſub Henrico VIII. agitata, recurrere: tum Hiſpanorum juxta

ac Gallorum potentiam huc usque arbitrari ſibi præſumpſit, non ignorans, pendente horum Principum lite, cuicunque belligerantium pondus ſuum addiderit, multis modis ſe illum altero graviorem redditurum:

Quod autem ad fabulæ Æſopicæ narrationem Leoni & Urſæ, de præda quadam inter ſe pugnantibus, & laſſitudine defectis, uſu venit, quod ſcilicet ab interveniente quodam tertio animali ſine periculo ſpoliati ſint: verendum, ne ſub præſentibus potentiſſimorum Principum certaminibus, niſi in tempore remedium quæratur, idem altercantibus per Angliam contingat.

tes deque virtute pristinâ remittentes inventurum sperabat, adeòque unico felicioris fortunæ afflatu res suas restitui posse existimat. Henricus IV. Galliç Rex, cujus intererat potentissimi Regis, & Reipub. indies assurgentis arma à finibus regni sui arceri, omnẽ movebat lapidem, ut perficerentur propositæ induciæ, quibus spes daretur confœderatis subsecuturæ aliquando libertatis.

Durantibus induciis, quod accidere debere desiderabant Hispani, scilicet videre factiones & dissidia inter Status, ita quoq; contigit, seditionibus & dissensionibus inter semetipsos sæviebant cõfœderati, & fiebant ob Arminii circa religionis

gionis negotium novam opinionem, discessiones, quæ vix ac ne vix quidem Synodo Dordracensi tolli poterunt: Interea anno M. DC. XXI. prætcrlabitur pactum induciarum tempus, ex utraq; parte redintegratur bellum & recrudescunt certamina, Marchio Spinola primùm adoritur Bergozomium, premitq; obsidione, quam paulò pòst jactura decem millium suorum solvere cogitur, invanũ etiam ab Hispanis tentatur Julium & castellũ Isabellæ: Confœderati non minus quam olim felices potiuntur *Oldensilæ*, & anno M. DC. XXIX. sub potestatẽ suam redigunt *Buscum Ducis*, *Venlonam*, *Rurmundam*, *Trajectũ ad Mosam*, *Lim-*

Limburgum, & castella plurima. Anno M. DC. XXXV. capiunt *Landinum*, *Halenum*, *oppidum Thenense*, *Listham*, *Arschottum*, cuncta Brabantiæ loca, hos confœderatorũ progressus videntes Galli, illis sese contra Hispanum associant, & *Dunkerkam*, *Gravelingam*, *Artrebatum*, fortissima & munitissima loca sibi acquirunt: ad hæc adversa, rationes belli sui mutare cogebatur Hispanus, inconsultum fore putans, cum duobus potentissimis inimicis rem simul habere, quod ne Herculi quidem adversus duos pugnanti, successit, sub amplissimis igitur conditionibus pacem offert Batavis, spondetq; libertatem & abdicationem jurium

jurium ſuorum in illos: Hæc ambabus manibus amplectuntur confœderati, acceptant quietem, Gallis intereà in arenâ relictis.

Hactenus autem in pace quieſcere cernuntur Batavi, rationes belli hodièq; eò dirigentes, ut quæ prodiga cæde & ſanguine ab Hiſpanis ſibi acquiſiverunt, iis commodè fruantur, majoris jam eſſe virtutis putantes, parta conſervare, quàm aliena quærere.

DISCURSUS XXI.

QVÆ RATIO STATVS bellici fuerit olim Angliæ & in præsenti sit, declaratur.

SI quis in Aurificis staterâ, aut quadam populari trutina examinare aureos constituit, si vel minimum aliquod ramentum, aut granum aliquod ad alteram libræ lancem apponit, statim depressam alteram lancem videbit: Ita accidit quoque in mundo inter duas potentias, viribus & numero æquales, si fortè ad libram revocantur: minima infirmi quamvis & debilis cujusdam vicini accessio, ad unam harum, ingravescentem statim reddit alteram: Quod optimè

mè agitare nôrunt veteres illi Romani, idq; ingenuè fatetur Romani eloquii flos, Cicero, cùm ait: *Noster populus sociis defendendis, terrarum jam omnium potitus est.* Priori seculo, pro ratione bellica hoc ipsum habuit etiam Anglia, quam Tacitus *Insulam quas Romana notitia complectitur maximam*, vocat, & alio in loco, *Oceano divisam*, appellat, & celebrat quod *fluminibus & sylvis munitos incolas habeat*. In Orbe Europæ videtur hodienùm Britannia esse quidam parvus mundus, cæteris ad latus appositus, per se subsistens & res suas sibi soli habens, imò grande quoddam & vastum animal, quod capi, domari aut occidi nequit, nisi

3. de Rep. | in Agr. c. 10. | Hist. 1. c. 9. | de M. G. c. 40.

ſeipſum interimat, aut ſpo
in laqueos incidat. Sub g
viſſimis Caroli V. & Franc
I. certaminibus, acceſſion
pondere ſuo unam altera
ve inter ſe depugnantiu
partem, aut deprimebat,
ſublevabat, ſuasque vires
intendebat unicè, inter
duos dimicantes ſibiq; in
cem infenſiſſimos Princip
æqualitatẽ ſervare, jam er
afflicto & enervato ſuccu
re volebat, mox ingraveſc
te ejus potentiâ, acceſſi
ſuâ ad alterius partes de
ctendo, gravitatem illam
derabatur: prout igitur
ceſſitas flagitabat, jam Hi
no aderat, jam relicto Hi
no, Gallo ſeſe adjungebat
tiando acceſſiones ſuas

va

pro varietate fortunæ, quare tandem ab Europæis tertiæ potentiæ Christianæ nomen promeruit: nec dubitavit sub illo tempore publicè rerum Europæarum Arbitrum se profiteri Henricus VIII. quandò in famosissimo illo ad Caletum inter Carolum V. & Franciscum I. habito colloquio, tentorio suo, tabulam imponi jussit, colorum pulchritudine admirabilem, quæ sagittariũ habitu Anglicano incedentem & pharetratum referebat, hâc cum inscriptione: CUI ADHÆREO, PRÆEST.

Postquam autem Anglia mutare religionem cœpit, exterminando Romanam, & introducendo *Evangelicam*,

mutari quoq; paululum statum suum vidit, adeoque etiam veteres rationes belli corrigere coacta fuit: ob religionis enim negotium lacerum ex parte & in factiones divisum vidit Imperium: Regionem enim Catholico-Romanam sustentabat Philippus II. Hispanus, qui inclinatione fidei suæ multorũ animos in Anglia sibi propensos reddebat: hanc populorum inclinationem in Hispanum, offensionem autem in se, cum perspexisset Elisabetha Angliæ Regina, ut in tempore his factionibus obviam iret, & truncaret omne malum quod turbare statum suum posset, continuo bello Hispanum exercere, secum

statue-

ſtatuebat, triplicem hac in re ſectando fructum. Primus erat, armis ſuis potiſſimum affligere vim Hiſpanicam in India, ubi Hiſpanorũ incrementa livido ſemper rimabatur oculo: alter, ut per mare Hiſpaniam expilando, navigiorum ſpoliis quæſtuoſam redderet Angliam: Tertius, ut occupatos ſibique obnoxios hoc in bello redderet ſubditos, eosque indies rei maritimæ faceret aſſuetos, tandemque Hiſpanos, pariter & ſubditos ſuos, eorum ſtudioſos, à novationibus & factionibus avocaret: ne autem ſub mole continui belli ſuccumberet, cunctis Domus Auſtriacæ hoſtibus ſeſe aſſo-

ciabat, Galliæ quacunque re poterat præstò semper erat, verita ne spoliis illius Regni gravior sibi fieret Hispanus, nec ope suâ Principes quosdam Germaniæ destitutos esse volebat, maximè autem omnium crescentem unitarum Belgii Provinciarum potentiam manibus pedibusq; adjuvabat, partim ut Hispano æmulum quendam excitando, continuum facesseret negotium, & quicquid superflui firmamenti ac virium haberet, hoc modo detraheret, partim ut Provincias Belgii sibi redderet obnoxias, quibus imposterum pro munimento & propugnaculo uti posset, quod opponeret illis, qui Angliam infestare vellent.

Suc-

Successit Elisabetæ Rex Jacobus, qui, cum videret, unitas Belgii Provincias non magis indigere subsidii sui, utpote in immensum jam auctas, & adeo viribus valentes, ut sine ope sua cum potentissimo cõflictari Monarcha possent, imò adeo eas crevisse prudenter judicans, ut jam possessionem Oceani ipsi Angliæ ambiguam facere possent: aliquid immutare de institutis & rationibus bellicis prioribus voluit, & quoniam literarum atque otii amantissimus erat, cum Hispano pariter & Gallo Pacem colebat.

Carolus Filius ejus, quamvis labentes in Gallia Religionis socios, quos Hugenotos vocant, sustentare cæpisset, & ter-

tertia vice Rupellanos graviter obſeſſos, à ruina detrahere tentaſſet, adeoque graviter Galliam offendere non dubitaſſet, nec cum Hiſpano integram colens amicitiam, aperto tamen bello nec Gallum, nec Hiſpanum laceſſere volebat, utpote qui ſub principiis regiminis ſui ſecum ſtatim occupatus erat, cum propriis ſubditis rem habendo, donec ingraveſcentibus turbis vita pariter & regno exutus fuit.

Anglia igitur hodie Rege ſuo deſtituta, ſub moderamine Protectoris ſui vivit: quod attinet rationes belli hactenus ab ipſo obſervatas, videtur ille ad principia priora ſub Henrico VIII. agitata, recurrere: tum Hiſpanorum juxta

ac

ac Gallorum potentiam huc usque arbitrari sibi præsumpsit, non ignorans, pendente horum Principum lite, cuicunque belligerantium pondus suum addiderit, multis modis se illum altero graviorem redditurum:

Quod autem ad fabulæ Æsopicæ narrationem Leoni & Ursæ, de præda quadam inter se pugnantibus, & lassitudine defectis, usu venit, quod scilicet ab interveniente quodam tertio animali sine periculo spoliati sint: verendum, ne sub præsentibus potentissimorum Principum certaminibus, nisi in tempore remedium quæratur, idem altercantibus per Angliam contingat.

DISCURSUS XXII.

QVÆ RATIO STATVS bellici hactenus Sabaudiæ Ducibus fuerit, demonstratur.

HOc quod moris esse solet illis, qui se iis spectatores præbent, qui sub notabili quodam præmio, quod in Gallia haut infrequens est, ad pilam sese conferunt: hi quamvis & ipsi datatim atq; expulsim, æquè ac illi, qui in arena sunt, ludere calleant, malunt tamen Arbitri esse, quam spe metuve præfixi præmii agitari: sanè idem facere videntur ii, quos fortuna medios inter duos dimicantes dimisit, aut si non medios, vicinos tamen reddidit.

Sanè duo Magnates, qui inter ſe armis contendunt, videntur ſimiles illis, qui inter manus pilam luſoriam vibrant, varia fortuna, varia arte: Principes vicini, qui quietè ſe tenent, & neutras partes ſequuntur, ſunt illi, qui in ludo pilæ, adſtant, & arbitrio funguntur: ſicut inſuper pilæ ſparſivæ ſpectatores diligenter omnes pilæ ſaltus, & manus eorum, qui eam expellunt, obſervant, aliquandò & controverſias in ipſo luſu ortas decidunt, ita & illi, Belligerantium actiones accuratè ſemper attendunt, nonnunquam etiam acceſſione ſua certaminibus finem imponunt, abſtinent tamen à ludo, quod nec lucri dubii, nec

damni participes esse velint.

Difficili sanè in statu collocati videntur esse ii, quos casus adeò medios inter duos potentiores inimicos posuit, apud quos non effugies, quin
Liv. l. 32. c. 21. alterum *aut socium habeas, aut hostem*: quive ita penes te positi, *ut nec vincere nec vinci sine periculo tuo*, quod Sallustii dictum est, *possint*. An enim expediat tali bello se immiscere, an melius sit abstinere, res ardua sæpè & periculosa est, quæ magna opus habet & deliberatione & fortuna: Sicut autem locorum editiorum sublimitatem oculo humano, & ope alicujus instrumēti accuratè inquirere possumus, quamvis pedem eò figere negatum sit: ita exemplis & observa-

ſervationibus, tanquam quodam quadrilatero, hujus quæſtionis Politicæ excelſitatem paululum inveſtigabimus.

Obſervatio autem noſtra ad Duces Sabaudiæ nos ablegat, quos in Orbe Europæo fortuna, ut ſuprà dixim⁹, collocavit inter duos potentiores vicinos, præcipuosque voluit eſſe belli & Magiſtros & Arbitros.

In uſu olim habuerunt Galliæ adhærere, & à partibus ejus ſemper quaſi ſtare viſi ſunt: tempore autem Caroli V. precibus & perſuaſionibus Conjugis ſuæ, Carolus Emanuel commotus, Franciſco I, tranſitum in Italiam claudere cœpit; aſt magno ſuo malo, exutus enim poſteà à Franciſco I.

ſco I. meliore parte ſtatus ſui, & à Carolo V. in Pace, quam cum Franciſco inierat, poſthabitus, pœnas parum prudenter obſervatæ rationis & cõditionis ſtatus ſui dedit: Filii autem ſui, Emanuelis Philiberti prudentia, perdita ſub Patris regimine facilè recuperavit: ille enim inter continuatas potentiſſimorũ Principum dimicationes immotus ſtans, adeò benè ſe regere novit, ut nulli amicum aut inimicum ſe geſſerit: qui ſanè exemplo fuit cunctis, ſub tali difficillimo rerum articulo latitantibus, quomodo gubernare ſe debeant, ſi inter duos potentiores Magnates, quibus acre inter ſe certamen eſt, ſine turbis quieſcere volunt;

ſcilicet ad libram revocare actiones ſuas, & cavere, ne neuter inimicorum materiam ſuſpicãdi aut metuendi habeat.

Carolus Emanuel, Philiberti filius, cum vidiſſet ſolertiſſima Patris ſui curâ, ſtatũ ſuum non ſolum integrũ, ſed multis modis ex altercantiũ Principum ruinis adauctũ & ampliatum ſibi relictum eſſe, cumq; animadverteret ſe vivi pectoris Heroem eſſe, à principiis Patris ſui receſſit, utq; ſigna vivacitatis ſuæ mundo ederet, præprimis autẽ clarum Europæis faceret, in arbitrio ſuo Pacis & Belli negotia poſita eſſe, & à nutu ſuo dependere, ſecundùm commoda aut incommoda ſua jam Gallorũ, jam Hiſpanorum partes ſe-

quebatur : Quare cùm videret, ſub Henrici III. regimine Regni Gallicani negotia valdè tumere, totamq; Rempub. violatam eſſe, in tanta perturbatione rerũ, cum crederet, extremis Galliæ partibus Regem ſuccurrere non valere, Marchionatus Salutiæ poſſeſſionem ſibi attribuit, & Hiſpanorum ſuffultus armis, in Provinciam atque Delphinatum prorupit, & niſi Hiſpanus Sabaudo vires ſuas in illo tempore ſubtraxiſſet, (quod fortè temerarium putaret, inquietiſſimi & ambitioſiſſimi vicini vires ampliores reddere) ſub iſtis ſanè turbis Gallia in extremis partibus ſ[illegible] non modicam à Sabaudo paſſa fuiſſet cladem ; aſt, ut dixi, vi-

ribusHiſpanorum ſub medio ſuo piſcatu deſtitutus, & in pace Verviniana ab Hiſpanis parùm amicè habitus, ut Marchionatũ Salutiæ, quem ſibi jam vindicaverat, retineret, utve illatas ſibi ab Hiſpanis injurias ultum iret, Henricum IV. ad Ducatus Mediolanenſis dominium ſibi acquirendum invitat, ſperans, Gallum, alieni potiundi labore diſtentum, Marchionatus Salutiæ obliturum, ſeque ad minimum particula quadam Lombardiæ inter turbas & diſcordias auctum iri. Verum à Rege Gallorum fraude viſus agere, per ſimilem deceptus fallaciam, ut conſervaret ſibi Marchionatum Salutiæ, Breſſam Regi Gallorũ cedere coa-

coactus fuit: Cum igitur frustratio hæc magnum Sabaudo inferret dolorem, odio erga Hispanos, in perniciem eorum, firmissimo Henrico IV. se sociabat fœdere, quod tamen subitanea Regis mors paulò pòst annihilavit.

Nihil tamen minus ulterius fortunam experiri voluit Allobrox, nimium quantum confisus suis viribus, Montisferratum igitur post Francisci Mantuani obitum, ex causa dotis Filiæ suæ, quondam Francisco nuptæ, armis petit, Ferdinando Gonzaga, defuncti Francisci Fratre, Montisferratum sibi asserente: fit inter Sabaudum & Mantuanum acre certamen; nec contentus Dux Montisferrati causa

Italiam

Italiam turbasse, Coronam Bohemiæ inter alios & ipse non obscurè ambiebat: Respub. Genuensis quoq; armis ejus infestata, multa ab eo perpessa est damna, cumque Hispanorum vires tam Reipub. Genuensis quam Montisferrati causa graviter sibi oppositas, viriliter sæpius sustinuisset, magnam ubiq; sibi comparabat famam, admirantibus cunctis, quod Allobrox viribus Hispanorum longè impar, exterorum præterea non suffultus auxiliis, cum potentissimo tamen Monarchâ manus conserere ausus fuerit, victor sæpius, quam victus recedens. Tandem autem cum plenus spe potiundi Marchionat⁹ Montisfer-

tisferratensis, ad obsidendam urbem Casalim Hispano suppetias ferret, & Gallo Alpes transcendenti itum occlusisset, effractis Alpium repagulis, sub extremo vitæ suæ articulo gravissimas Galliarũ Regi Ludovico XIII. pœnas solvit, & tota Sabaudia exuebatur; Pedemontium autem Gallis, Hispanis & Germanis militib9 in prædam datũ fuit.

Victor Amædeus, Caroli Emanuelis filius, ad has sub Patre, & post mortem ejus, redactus angustias, Philiberti Avi sui consilia denuò apprehendere optimũ ratus, quod vi armorum repetere impossibile esse videbat, pactis acquisivit, & vendita Regi Gallorum Ludovico XIII. Pinarola,

la, ceu clave Italiæ, majorem ſtatus ſui partem à Gallis vi armorum partam, reſtitui ſibi vidit, cumque putaret Galliarum Regis amicitiam utilem juxta ac neceſſariam ſibi eſſe, cum ille totis virib9 ſuis ſtatui ſuo incubaret, quod non ita facere datum eſſet Hiſpano, adhærere Galliæ, utpotè cujus parietem, ut dixi, propius tangeret, voluit: in qua amicitia hucusq; Sabaudus continuavit, Hiſpano non adverſarius, nec Gallo contrarius.

Hæc ſunt, amice Lector, ea qua potui brevitate ad oculum Tibi propoſita diſcrimina, hi caſus, hæc præcipitia, ad quæ centum ab hinc annis anceps rerum Europæarum ſtatus Sabaudiæ Duces relegavit,

vit, sub quibus, prout res & ratio poscebat, nonnunquam præclarè, nonnunquam durius vixerunt: cunctis mediocrium virium Principibus, qui potentioribus ad latus positi sunt, exemplo, ut inter certamina eorum quietè vivant, aut si sine turbis vivere negatum eis fuerit, procurent, ut unam aut alteram libræ lancem, ad quam æquari negotia solent, in arbitrio suo habeant: nam prout scitè non minus quam verè Sallustius ait: *quos ignavia*, aut vecordia, *aut prava calliditas, in simili casu, ut alienis laboribus tuti essent, ab armis abstinere fecit, acerbissimas sæpè pœnas solverunt.*

DIS-

DISCURSUS XXIII.

QVÆ RATIO STATUS bellici Hiſpaniarum Regi olim fuerit, & impræſentiarum ſit, oſtenditur.

Potentiſſimus Hiſpaniarum Rex, quem vulgo Catholicum vocant, præ aliis Europæ Magnatibus ſingulari poſitu Regni ſui gaudet, nec invaſionem aut impetum Exterorũ habet quod extimeſcat: maximè verò expulſis jam Mauris, & olim cum Caſtiliæ ſuæ adjuncta adhuc eſſet Luſitania, quæ jam ſub legibus ſuis vivit.

Habet autem Regnum Hiſpaniarum pro clypeo Oceanum, à Septentrione enim

Cantabrico Mari, ab occaſu Occidentali, à Meridie Mediterraneo cingitur, montes Pyrenæi inter Galliam atque Hiſpaniam quaſi quidam murus ab ortu interſunt: videtur igitur à natura quodam quaſi ſepimẽto ceu perpetuo quodam ſatellitio cinctus Hiſpanus, elevatus ſuper cæteros, & planè natus ac factus ad dominandum, clarus inſuper ob navigationes Indiæ Orientalis & Occidentalis, quæ rerum agendarum nervum, aurum ſcilicet, ipſi ſuppeditat largiſſimè, præpotens & formidabilis, pariter & carus Exteris, quia vi armorum ſuorũ quicquid auri ipſi navigationes ſuæ afferunt, per totam ferè Europam diffundit ac explicat:

plicat: nec contentus latifundiis Europæ, beneficio Indiæ Orientalis in Asia, ut & in Africa non contemnenda quædam possidet loca.

In Italia dominatur latissimè, paret enim ipsi Regnum Neapolitanum capacissimũ, Ducatus Mediolanensis, Insulæ insuper duæ, Sicilia & Sardinia: vicinos suos ut plurimũ intra cancellos suos retinet: ipsa Barbaria, in Africa, ope propugnaculorũ quorundã, quæ sunt, *Ceuta*, *Tanger* & *Anzilla*, frænos ab Hispano recipit, & Turcarum per mare grassandi licentiam resecant duo quidam in Regno Tremesino portus Hispanici, *Mazaquibir*, & *Ora*: ex alterâ Oceani parte Reipub. Genuensi

fræna olim imposuit per castellum *Monaci*, quod hodiè Gallis paret, jam autem per urbem *Finalem*: ope horum locorum descensus Hispano facilitatur in Ducatum Mediolanensem: Ferocitatem Hetruriæ comprimit per alios quosdam portus illi ad latus positos, quos Itali, *Porto Hercule*, & *Porto-Longone* vocant: dispersos status suos, quos hinc inde habet in Regno Neapolitano, Sicilia, Sardinia, numero triremium & multitudine navigiorum suorum reddit sibi conjunctos, & obedientes. Vallis Tellina etiam Hispano pro curriculo est, per quod Domus Austriacæ potentias in Germania sitas, si necessitas exigit, asso-

ciare

ciare sibi potest. Numerum subditorum, amplitudinem provinciarum, multitudinem urbium Hispano subjectarũ, si quis perpendit, omniaque hæc in unum locum conferre velit, nemo Europæ Magnatum ad eum comparandus esset: ast Deus has suas potentias diduxit, & in diversas regiones distraxit, quæ tamen consilio & prudenti regimine ita hodie inter se catenatæ, ut manum sibi invicem porrigere possint, id quod multum requirit sumptuum, & numerosum ac ferè perpetuum efflagitat militẽ; adeoq; deducto hoc, quod ad tutelam & defensionem tot & tantarum provinciarum opus est, contingit, ut nonnihil castrentur

Hispani vires & potentiæ, & quamvis rarò deficiant nummi, sæpius tamen deficiunt ii, qui laterũ atq; corporũ suorum oppositum ad defensionem status accommodare possunt, quod non parùm damni dare rebus Hispanicis solet: quare conquisitionem militum suorum per agros Germaniæ, militum feracissimæ, hactenus sæpissimè instituit Hispanus, obstrictus eapropter Domui Austriacæ maximè, utpote cujus favore & procuratione non rarò à ruina retractæ laborantes ejus res Belgii & Italiæ fuerunt.

Hæc de rationibus status pacifici in Hispania: restat de rationibus belli pauca quoq; differere.

Hispani postquam prudenter hactenus perspexerunt, si ab omni vicinorum molestia sincerum & integrum possidere velint statum, maximè eum, quem extra Hispaniam fortuna indulsit, Gallorum actiones diligenter sibi attendendas fore, cum quibus, ob hujusmodi possessiones perpetuam haberent litem, ut igitur à pervicacissimis Gallorum turbis sese subtraherent, sub variis causis & rationibus, nonnunquam sub Religionis prætextu, lacessere Galliam soliti sunt, & cum vidissent domesticam ejus quietem turbarum & factionum fluctibus ferè singulis annis agitari, divisiones istas in Gallia ad infringendas & deducendas ejus

vires maximè facientes, ceu febrim aliquam in corpore latitantem, nutriebant & fovebant sæpius.

Longum & fortè odiosum esset jam per omnes historias ire: Henrici III. ævum solùm recensebo:

Cum sub eo sobolis masculæ & certi successoris spes deesset, consanguinitatis autem ratio ad Coronam Galliæ vocaret domum Borboniam, Hispanus autem ob Regni Navarrei occupationem infensissimos eum sibi haberet Borbonios, omni scientia ac diligentia, omnibus denique belli viribus enitebatur, ut impediret successioné istam, à quâ non nisi turbida, non nisi tristia statui suo ominari pote-

poterat, eapropter factionem Guisianam tum temporis Regi Henrico contrariam, re & ope sustentabat, adeoq; excitato Procerum Galliæ inter se dissensu, factoque populi in partes discessu, impediebat, ne Henricus III. Belgii tutelam custodiamque, quam in manus suas dimittere parati erant Belgæ, susciperet, & quamvis Hispanus Exercitũ suum in Galliam mittendo, ut sub Farnesii ductu assisteret Ligisticis, eo ipso non parum incõmodaverit & infregerit res suas in Belgio, maluit tamen, quamvis suo cum damno, subnervare æmuli sui vires, ut postea absq; cura & timore alieni subsidii, fortior Belgii certaminibus interesse posset.

Nec caruit ſuo fructu & ſucceſſu conſilium, Gallia longo temporis tractu in ſe ſola conſervanda occupata, & domeſticis ſuis malis planè obruta, pro lubitu graſſari Hiſpaniam ſinebat, donec ſub Cardinalis Richelii auſpiciis internis turbis remedium datum, ibi demum per multa impedimenta eluctari Gallia cœpit, & Hiſpano ſeſe opponere viſa eſt, quod equidem in hanc uſque horam continuare deprehendimus. Hiſpania autem Caroli V. præceptis, quæ Filio ſuo Philippo dabat, inſiſtens, nec Pacis nec Belli tempore ab Auſtriacis ſeſe divelli meritò paſſa eſt, & ad Philippi II. iterum Filio ſuo Philippo III. datum monitum, Italiæ quie-

tem, quam impunè nunquam turbatam esse novit, commovere cavet, cum Gallo hodiè gravissimo impedita bello, cujus finem eventus Magister rerum nos tandem edocebit.

DISCURSUS XXIV.

QUÆ RATIO STATUS Bellici Galliæ sit, aut fuerit, ostenditur.

Gallia meridiem versus Hispaniæ confinis, à Septentrione Flandriam, quæ Hispano subjecta respicit, ab Oriente contigua, Germaniæ, quæ partim Austriæ subdita, partim obnoxia, ab Occidente Italiam ferè vicinam habet, quæ vel

adhæret, vel ſervit Hiſpaniæ, videtur quaſi tota circumnexa Domus Auſtriacæ viribus: libertatis ſuæ omni tempore diligentem curam habuit, & quodvis fortunarum Auſtriacarum augmentum invido ſemper intuita eſt oculo, verita ne aliquando à nimio potentiæ Hiſpanicæ pondere opprimatur aut circumveniatur.

Non tantæ olim audaciæ nec virium fuit, nec tantum authoritatis apud exteros habuit, quàm hodie habet, cunctis ſolam ſolius Domus Auſtriacæ vim & potentiam reformidantibus, cumque ſuperioribus ſeculis de erigenda & altius extollenda fortuna ſua deſperaſſet, & onera-

tam se obrutamq; quasi multis civilium bellorum malis vidisset, terrebatur adhuc memoria veterum Belgii Ducũ, qui amplissimi illius Ducatus Possessores, miserè semper eam affligebant: postquam autem totius Belgii fortissimas res ad Hispanum, tam propriis quàm adscititiis Italorum & Germanorum viribus in immensum jam adauctum, delatas vidit, cum satis incommodi olim à solis Belgii Ducibus sensisset, non poterat non majora mala ab Hispano timere: quare non tam de dilatandis suis finib9, quàm potius de conservanda semetipsa sollicita erat Gallia, utpote, quæ, ubicunque respiceret, per varias clades semirutam

& ſpoliatam ſeſe cernebat, adeoq; haut ſe ſuffecturam putabat, Hiſpanorum vi, ſi peteretur, reſiſtere. Hæc diu Gallia ſecum agitabat, eademque principia ſequebantur Miniſtri ſtatus, usq; ad Henrici IV. tempora, poſt cujus obitum Dux Luynæus quoque veterum principiorum regulas apprehendere videbatur.

Hunc excipiebat Cardinalis Richelius, quo cum repentè mutati veteres mores, & primùm domeſticis malis remedium dari cœptum eſt, caſtigati rebelles & ſeditioſi, ſub jugum miſſi Rupellani, adeoque novum jam ingenium induere incipiebat Gallia; ſtatim igitur mutatis prioribus prin-

principiis, quomodo inferiores in officio retineri, & superioribus nervi incidi possint, cogitabat Gallia, intenta ab omni alienæ potentiæ metu imposterum liberam se reddere. Quare Batavis, cum Hispanis rem habentibus, subsidia haut infirma submissa fuerunt, eo fine, ut per aliena arma debilitaretur res Hispanica: Perculsa paulo post Vallis Tellinæ occupatione fuit, cujus jacturam in maximum amicorum & status sui exitium vergere putabat: Quare Rhætorum causam statim suam faciens, submissis armis Ducem Rhoanium secunda vice Vallem istam sibi vindicare jubebat: vix emersa ex hoc bello, cum excludi ab Hispa-

no Niverniæ Ducem à Ducatu Mantuano, ei debito, videret, fortè quod Nivernius in Gallia natus & educatus, cognatione insuper Galliæ Regem attingens, & amplissimas in media ferè Gallia possessiones tenens, Principatu Italico auctus, multis modis Hispanorum incrementis & studiis contrarius videbatur, pro asserenda Niverniæ Duci ditione Mantuana, quã agnationis jure & Testamẽti beneficio petebat Dux Carolus, indignantibus quamvis Hispano & Sabaudo, arma capiebat, & intercepta Casali & Pignarola, Nivernium in statu suo conservat: hac re animosior indies facta, Lotharingum Domui Austriacæ adhæren-
tem

tem, felici auſu Ducatu ſuo exuebat, tandemq́; in mediã Germaniam, in odium Auſtriacorum, cum fortiſſimo Exercitu irrumpebat, adeoq́; valentiſſimæ Reip. nomen ambiens, apud amicos amorem, apud Exteros timorem conciliare ſibi ſtudebat.

Ex eo tempore igitur, quo Gallia vires ſuas in unum contrahere cœpit, & ſub prudenti Cardinalis Richelii moderamine vixit, pro maxima ſtatus Bellici habuit, Coronæ Hiſpanicæ auſibus ubicunque ſemet opponere: & ſicut olim Hiſpania Galliam infirmam reddere cogitabat, ejus inteſtina mala fovendo, ut ingraveſcentibus illis turbandarũ in Italia rerũ oblivіſceretur:

ſic Gallia tota poſtea in eo erat, ut poſtquam omne illud quod internã ſuam quietem violare aut perturbare poſſet, ſuſtuliſſet, & portam ad ferenda amicis ſuis auxilia aperuiſſet, nunquam non ab illis vocata, præſto eis eſſe poſſet. Quare Italiæ Proceres naſci ſibi hujusmodi vindicem videntes, de die in diem animoſiores redditi, Hiſpanorum mucrones minus timere incipiebant, hodieque Gallo adhærentes, Hiſpanorum fortunas in Italia vellicare non dubitant.

***

DIS-

DISCURSUS XXV.

QVODNAM ITER FLOTTÆ Hispanicæ ad Indiam Occidentalem eundo & redeundo insistat, & quid ratione tutelæ & defensionis suæ agat, quæve Lusitanorum circa negotia maritima instituta sint, describitur.

DE magnitudine Indiæ Occidentalis notanda sint ea, quæ tradidit nobis Guicciardinus, quandò refert: *Quod tanta novi Orbis, quæ à Christophoro Columbo, & Americo Vesputio primò detecta est, magnitudo sit & vastitas, ut hoc novo nostro habitabili orbe antea noto, infinito latius pateat, & auro & argento, quod ex fodinis eruunt, quintam partem tributi nomine Hispaniæ Regi exolvere cogantur Incolæ.* *lib. 6. hist. Ital.*

Hujus

Hujus tributi vim, & modum colligendi, & ad fines Europæ transmittendi, quod beneficio classis maritimæ, quam vulgo *flottam* vocant, fieri solet, cum hoc discursu, additamenti loco, explicare instituerimus, sciat Benevolus Lector, quod Rex Hispaniæ, ceu Rex Castilię, possideat hodiè vastissima illa Americæ Regna, quæ vulgò Novus Mundus dicũtur, ex eò, quod ille veteribus planè incognitus fuerit, eumque demum Annus à CHRISTO nato M. CCCC. XCII. per Christophori Columbi industriam, nobis aperuerit: Idem Rex Hispaniæ per Lusitanorum indefessum circa maria discurrendi studium, in Orien-

rientali India multorũ quoq; locorũ potitus est, quæ cuncta deposito nuper Imperio Hispanico Lusitani sibi attribuerunt. Ex his regionibus Orientalibus & Occidentalibus immensa auri & argenti vis singulis annis transmittebatur in Hispaniam, maximè autem hodiè in Americâ ex inexhaustis argentariis & aurifodinis suis multa instituit vectigalia Hispanus: In usu autẽ est Hispanis, sub medio mensis Martii, & aliquando sub auspiciis Aprilis, ex urbe Hispali, quam vulgò *Seviliam* vocant, octo vela, variis mercibus onusta in altum dare, quæ octo aliæ naves instructæ armatæque, quas vulgò *Galeoni* vocant, comitantur, hæ ad litTora

tora Americæ cursum suum dirigunt, eò unicè respiciendo, ut ad *terram firmam*, ut loquuntur, naves suas ejicere possint, ad quam felici appulsu si pervenerunt, exscensionem primam plerumque ad *Cartagenam* faciunt, quæ in nova Hispania ad *Costam Ricam* sita, principali portu gaudet, ubi postquam aliquam mercium copiam deposuerunt, cum residuo paulo altiùs trajiciunt, & ad *Portum Velo* contendunt, qui portus præ aliis novi orbis celebris & famosus, ob amplissimum quod ibi exercetur mercaturæ studium, inter duo Americæ maria, superius, quod Septentrionale, & inferius quod meridionale vocant, subsistens,

ſtens, Iſthmo quodam, qui ad duodecim milliarium latitudinē ſe extendit, Septentrionalem Americæ partem Meridionali conjungit, non aliter quàm Africam cohærentem reddit Aſiæ, continens quædam terra Ægypti.

Portus ille *Velo*, patet omnibus mercibus, quæ ex Peruvia adventant, aut illam verſus deſtinantur, receptaculum inſuper auri & argenti, quod in Peruvia quoquo loco invenitur.

Sicut autem prout jam dixi, omnis auri vis & mercium copia, quæ ex Peruvia & aliis mari meridionali adjacentibus provinciis ad mare ſeptentrionale Americæ deſertur,

tur, ut poſtea dimittatur in Hiſpaniam, ſuffugium ſuum habet *Panamæ*, quæ eapropter non minus mercaturæ negotiis claret, & ad alterum Iſthmi ſupra nominati latus poſita eſt, ubi quicquid mercium naves ejiciunt, recipit, & imponit jumentis, quæ noſtris Europæis non abſimilia mulis, illud per continentē Iſthmi poſtea deferunt ad *Portum Velo*: ita vice verſa, quicquid ex Hiſpania aut aliis Americæ Provinciis mare Septentrionale reſpicientibus, Peruviam verſus devehitur, aut ad alias Meridionales Americæ partes tendit, iterum ad *Portum Velo* exponitur, & ab iisdem jumentis Panamam reditum accelerantibus, *(di ritorno)*

torno,) eò deportatur, ubi postea merces istæ navibus ad vecturam destinatis impositæ, hinc illinc per Peruviam & varia Meridionalis Americæ loca distrahuntur: Ipsæ hæ naves, quæ suas ex Hispania advectas merces ad *Portum Velo* deposuerunt, statim istas res quæ ex Peruvia & aliis mari meridionali vicinis locis subministrantur, excipiunt, imponuntque carinis suis, excepto auro & argento, quod majoris securitatis causa concreditur classi, quæ consistit ex variis navibus spatiosis, & ad impetum validis, quarum quælibet triginta sex tormenta majora penes se habet, instructa & munita insuper trecentis partim classiariis, par-

tim nautis, in rebus maritimis exercitatissimis, hæ naves pro salute totius Flottæ excubant: quamprimum igitur classis ista in *Porto Velo*, auri & argenti vim sibi debitam sustulit, vela fieri & præcidi anchoras jubet; comitantur classem naves mercatoriæ, & flectunt *Havanam*, quæ munitissimo & amplissimo totius Americæ portu gaudere dicitur: Havanam advecta classis, triginta quinque alias naves, communiter ibi adventum suum præstolantes, invenit, quæ ex Hispania sub finem mensis Junii anni præcedentis profectæ, ad Sanctum Johannem de Lua *(San Guioan di Lua)* substiterunt, hæ naves, postquam suas etiam

quas

quas ex Hispania apportarunt merces dimiserunt, & in vicem illarum, has, quas nova Hispania suppeditat, receperunt, omni studio eò contendunt, ut eo tempore Havanã decurrant, quo classis cum oneraariis suis prætervehi solet, quod plerunque sub principio Septembris contingit, ut scilicet sub præsidio classis, & magno comitatu, reditum tutũ & à piratis liberum habere possint: hoc idem tempus accuratè observant & aliæ privatæ naves, quæcunq; ex America in Europam trajicere gestiunt, adeoque illa navium congeries, quam vulgo *Flottam* vocant, nonnunquam numerum sexaginta navium, & quod excedit,

comprehensa classe, superat.

Solutis anchoris in Havana integra Flotta per fretum quoddam satis periculosum, quod fretum *Baamæ vocant*, ideò, quod inter Baamam & Thoridam Insulas situm sit, in Oceanum evehitur, ubi quamprimùm ex angustiis faucibus egressa, pandi sibi immensum & horrendum mare videt, in signum lætitiæ, quod ex freto in altum delata sit, displodit cuncta quæ habet tormenta, & convocato consilio aperit literas, quas ex Hispania accepit, in quibus quid facto opus sit, quæve Regis voluntas in dirigenda classe, & instituendo ejus domum versus cursu sit, perspicit, monetur etiam de tenenda certa

qua-

quadam poli altitudine, & quomodo de uno climate ad alterum flectere se debeat per literas istas intelligit: has autem literas non prius ad Oceanum quam pervecta classis est, aperire licet, ut omnis de instituta velificatione præsensio præcidi inimicis possit, qui subindè in carum hujus Flottæ caput insidiatores subornare solent, rapto vivere assueti.

Hæc est ratio status pacifici & bellici Flottæ Americanæ, quæ in Hispaniam feliciter trajecta, exscensionem semper quasi mense Novembris facit, conficiendo cursum suum per fretũ Gaditanum, tandemque per flumen Boethin, vulgò Guadalquivir

meando, ad Hiſpalin, hodiè *Seviliam*, terram legit, ubi ſtatim theſaurus Regius merceſq; cunctæ Miniſtris Regiis concreduntur, qui ſuas poſtea legitimas partes mercatoribus & cunctis, qui de lucro aliquid participant, conſignant.

Flotta hæc, proſperam emenſa navigationem, ut plurimum ante hoc undecim millionum auri valorem afferre ſolebat, quarũ duæ conſiſtunt in pretio mercium, reliquum in puro auro & argento poſitum eſt, quarta pars hujus ſummæ, communi calculo ad Regem ſpectat, reſiduum ſibi vindicant privati & mercatores.

Merces quas Flotta ad Europam

ropam transmittit ſunt communiter, tabacus, & pelles bubulæ, ex quibus conficiuntur ſoleæ calceorum, vice verſa naves, quæ ex Hiſpania profectæ, Americam appellunt, & quidem illæ primæ, quæ cum armatâ claſſe è portu ſolvunt, offerunt pannos laneos, ſericeos, cycladatos, auro & argento diſtinctos, alteræ naves apportant lintea, vinum, oleum, baccas oleæ, ſeu olivas, quibus fructibus exuberat Hiſpania: Ut autem Rex Hiſpaniarum Americanas Provincias, quodam quaſi tacito vinculo inter ſe copulatas, ſibique & Regnis ſuis in perpetuum connexas teneat, hoc inſigni utitur remedio: ſub graviſſima pœna hæc

duo ſanxit in America Rex: unum eſt, abſtinere à ſerendis vitibus & oleis: quamvis enim ſciant incolæ, quod ager Americanus fœcundiſſimi ſoli ſit, & vitium ac olearum fertilis, haut tamen illis hujusmodi fruges ſerere integrum eſt: alterum eſt, non permittere ut Provinciales reditus ad Regem ſpectantes, & proventus fiſcales, in manus privatorum decurrant, ſub quocunque etiam jure aut prætextu: exinde igitur eſt, quòd incolæ deliciis vini & olivarum jam aſſueti, facili operâ ex Hiſpania, ſola ſubtractione harum frugum coerceri & caſtigari poſſint, adeoque inviti etiam cum Europæis negotiari, & Imperium Regis lon-

longissimè remoti, tolerare cogantur, cumque ulterius non habeant ubi commodè impendant res & divitias suas, oportet ut transmittant aurum suum in Hispaniam, ubi sibi perpetuos reditus ex cultissimis ejus fundis comparant, quos reditus Hispani *giuri* vocant, adeoque quicquid præsentium nummorum est in America, ad se trahunt Hispani, quo commodo, sc. fructibus fundorū suorum largiter fruendi, omnimodo carerent, nisi proventus suos hoc remedio Americanis distribuerent, adeoque ex hac causa olim præ aliis Europæis grandem pecuniam adepti sunt: accedit & hoc, quod annui reditus, quos

ex ubertate fundorum Hiſpaniæ capiunt Americani, pro compedibus ſerviant Regi, ad continendos eò facilius in officio incolas, qui, cum magnam facultatū ſuarum partem in eos impenderint, haud audent Regi Hiſpaniæ ſeſe opponere, metu ſcilicet perdendarum rerum ſuarum, quæ in ſtatu Hiſpanico poſſident: Et quamvis immenſæ divitiæ ex variis Novi Orbis angulis Hiſpaniæ propitio fato affluant, ſumptuoſiſſima tamen per Flandriam, Germaniam, & Italiam, geſta ab Hiſpanis bella, quicquid ferè nummorum apud illos ſupereſt depaſta ſunt, adeò ut adeſa jam pecunia, Hiſpania magis indiga ſit auri & argenti,

quam ulla alia Europæ Regio, nec infrequens hodie etiam per Castiliæ Regna videre monetam ex cupro conflatam, quæ signata est Regis authoritate, & moneta *del Veglione* dicitur, quod sanè non parum detrimenti rebus Hispanicis afferre solet.

Hispanis non minus felices, inque scrutandis antea incognitis terris non minus strenui fuerunt Lusitani, qui aliquot annos antea, quàm Columbus terras Americanas aperuerat, incertum violentum & vastum mare pertentare ausi sunt, & præter omnem hominum opinionem ad terras quasdam antea non detectas, prosperè accesserunt; Cum enim antiqui Mathe-

thematici & Geographi hac in opinione olim versati essent, Zonam torridam non admittere habitatores, putabant illi, Africam, quam Oceanus Occidentalis circumscribit & ambit, quæve à freto Gaditano (*Gibraltar*) versus meridiem pergit, incidere in illam Zonam, & actum agere omnes eos qui cum evidenti vitæ periculo cursum navium eò usq; dirigere velint, ubi ob Solis æstum penetrare aut consistere posse denegatum esset: insuper etiam impossibile esse putarunt, ab Oceano Occidentali Africano ad Orientalem, quo Asia circumfusa est, ob præsentissimæ plurima pericula trajicere.

Ast Lusitani sinus maris

magno ſtudio, & exquiſitâ arte circuire pertentantes, & varios maris ambitus permeantes, tandem ad promontorium quoddam, quod *caput viride* dixerunt, (capo verde) & vicinas quasdam Inſulas appulerunt, has prænavigantes, ad ulteriora velum explicare auſi, per lineam æquinoctialem feliciter velificantes, ad Regna usque *Congo* & *Angolam* pervenerunt, paulò poſt ſub Tropico Capricorni Oceanum quoque emenſi, ad propoſitos ſibi deferebantur limites, ad quos nemini patere aditum antea communis opinio erat, navem igitur ad extremum Africæ promontoriū advertebunt, quod *Caput Bonæ Spei* dixerunt, nec

non per summa æquorum ulterius navigantes, & Orientem versus flectentes, tandem Persicum & Arabicum sinum emetiebantur, & littoribus magnæ Indiæ appulsi, ibidem subsistebunt: Regum Indiæ amicitiam ad stabiliendã ibi sedem commodam & necessariam sibi fore videntes, ope mercium suarum, quarũ egebant incolę, eam sibi comparabant: perspicientes autẽ quod incolæ Indiæ crebris certaminibus inter se distinebantur, prout è re sua esse putabant, mox his mox illis accedebant, & partim vi, partim pactis, aliqua in India acquirebant loca, quæ quamprimum ad impetus sustinendos munita reddere contenderunt,

derunt, de die autem in diem novas accessiones sibi conquirentes, tandem in media Barbaria Regnum sibi stabile efformarunt, quod quamvis nec amplum nec unitum sit, qualitate tamen situs sui, & vicini maris beneficio ac prudenti hodie Lusitanorum moderatione, cuncta aliorum populorum in India parta imperia longè antecedit.

Et sanè admiratione dignum est, quod ab extremis quasi mundi partibus transfretantes quidam nautæ, eò usque viribus in India Orientali creverint, ut frænos Regibus & Rectoribus tam vastæ Provinciæ imponere ausi sint, hodiè enim à Lusitanorum

rum regimine Gubernatores & Reguli Magnæ Indiæ, vel ut Vasalli, vel ut confœderati & pactitii, vel ut tributarii dependent, eò partim armis & vi, partim commodo negotiorum gerendorum adacti; nec contenti finibus vastissimæ Provinciæ Lusitani erant, mutatâ velificatione, & caput Indiæ, quod *Comorinum* vocant, prælegentes, in sinum Gangeticũ penetrarunt (Golfo di Bengala) & indè ad Insulas Moluccas cultissimas & aromatum fertilissimas trajecerunt, tandem usque ad Sinarum Regnum, vulgò *Chinam*, & *Iaponicas* Insulas pervenerunt. Eò felicitatis progressi sunt Lusitani, ut scru-

ſcrutando omnes maris ambitus, eosque, transmeando orbem terrarum curſu ſuo emenſi ſint, & Orientem Occidenti conjunxerint, adeoq; vanam eſſe illam antiquorum opinionem toti orbi clarũ dederunt, qui putarũt quod terra non ſit rotunda, quod non ſint antipodes, quod inhabitabiles ſint Zonæ torridæ, & ꝙ non mutuò ſe recipiant maria quæ terram circumfluunt.

Impræſentiarum Rex Portugalliæ, per Vicarium ſuum, ut olim Rex Hiſpaniarum, ampliſſimũ hoc Orientis Imperium moderatur, & ab eo incolæ harum regionũ præcipuè, vel ut Vaſalli, vel Tributarii, vel ut Amici pactitii

&

& fœderati dependent, regimen quoque rei maritimæ penes Vicarium reſidet, hoc ut liberum & illimitatum per omnia illa Orientis maria obtineat, quatuor claſſibus, quas hinc & inde per portus & opportuna loca diſtribuit, & ad quosvis caſus in parato habet, imperium hoc ſuum agitat, adeò benè, ut nulli Regum, aut populo, qui Luſitanorum imperio ſe ſubjecit, ſine authoritate & licentia Vice Regis, ne quidem ſub mercium aut mercaturæ faciendæ prætextu, circa illa maria navigare liceat.

Res ſanè admiranda, quæ etiam Romanorum felicitatem in ſubjugandis populis multis

multis modis ſuperare videtur.

Multum profectò commodi Portugalliæ Regibus per navigationes quæ ad Indiam Orientalem Luſitani inſtituunt, accedit, ipſis enim frui datum eſt aromatibus, quibus India abundat, gemmis etiam & aliis magni pretii mercibus, quas poſtea maximo ſub lucro per varias Europæ partes diſtribuunt, & mirum in modum res publicas & privatas augent: quo fructu hodie Rex Hiſpaniarum caret, poſtquam Luſitani novo ſibi impoſito Rege, per Orientis etiam Imperium partes ejus ſecuti ſunt.

Hæc

Hæc de Hiſpanorum & Luſitanorum ad Orientales & Occidentales Indias navigationibus ad finem noſtrorum Diſcurſuum adjicere placuit.

FINIS.